



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

Appendix Actorum Veterum, Quorum In Notis Facta Mentio Est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646



A P P E N D I X
 A C T O R U M V E T E R U M,
 Q U O R U M I N N O T I S
 F A C T A M E N T I O E S T.

I.

Præceptum Karoli Magni Imperatoris
 pro monasterio Crassensi.

Ex Registro Curie Francie MS.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia Imperator Augustus. Si servorum Dei petitionibus aurem nostræ serenitatis accommodamus, & antecessorum nostrorum morem sequimur, & ob id præsentem vitam facilius transigere & futuram adipisci nullo modo dubitamus. Noverit itaque omnium fidelium sanctę Dei Ecclesię nostrorúmque tam præsentium quàm & futurorum industria quoniam Songfredus Abbas monasterij sanctę Marię de loco qui dicitur Urbionis, sito in confinio Narbonensi & Carcassonensi, ad nostram accessit clementiam, deprecans ut super donationes, emptiones, vel alias acquisitiones rerum

ad iamdictum locum pertinentium nostrum firmitatis gratia superaddidissimus Præceptum. Præcipientes igitur iubemus ut omnes villæ, id est, Buxiniantus, & Palairacus, Civizianus, & Mansiones, & Villare, singulariter cum omnibus possessionibus ad præfatum locum in quibuscumque Comitatibus, sicut in eodem loco justè & rationabiliter per hoc nostrum Præceptum permaneant, & Ecclesiæ quæ in villis eorum sunt, in eadem potestate similiter permaneant, & immunitatem etiam nostram similiter habeant, sicut in nostro veteri Præcepto continetur. Et ut hæc ita justè conserventur, manu nostra subter firmavimus, & anulo nostro insigniri iussimus.

Signum Karoli gloriosissimi Imperatoris Augusti.

Audactus Notarius ad vicem Gardini recognovit.

Datum VIII. Kal. Novembris, Indictione decima, anno XXXVII. regni Domini Karoli Imperatoris in Francia, & imperij ejus primo. Actum Eledione villa in Dei nomine feliciter. Amen.

I I.

Præceptum Karlomanni Francorum Regis
pro Ecclesia Narbonensi.

*Ex authentico, quod extat in archivo
Archiepiscopi Narbonensis.*

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Iesu Christi. Karlomannus gratia Dei Rex. Si sacris ac sanctis locis divino cultui mancipatis aliquid de rebus regni nostri seu facultatibus conferre studemus

studemus, non solum in hoc regiam exercemus con-
 suetudinem, sed maximum regni nostri munimen
 auxiliante divina gratia esse nullatenus dubitamus.
 Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei
 Ecclesiæ nostrorūque tam præsentium quàm &
 futurorum sollertia quia accessit ad clementiam se-
 renitatis nostræ Sigebodus sanctæ matris Narbonen-
 sis ac Redensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & innotuit
 nobis de paupertate sui episcopatus, & quemadmo-
 dum sua sedes & penè omnes Ecclesiæ ejusdem civi-
 tatis ruinæ jam proximè existebant, ita ut per ipsi
 nullatenus possent restaurari; narrans etiam quali-
 ter jamdudum deprecante Domino Apostolico Io-
 hanne apud Trekas civitatem per genitorem no-
 strum piissimum Regem Lhudovicum quædam re-
 ceperit ad augmentum suæ Ecclesiæ beneficiola à
 se suisque successoribus perpetualiter obtinenda.
 Cujus petitionem necessariam & rationabilem esse
 cognoscentes, placuit celsitudini nostræ, pro remedio
 animæ genitoris nostri & nostræ, atque pro tanta
 deprecatione Apostolici Iohannis, seu & karissimi
 nostri venerabilis Abbatis Hugonis, quatinus ad
 eandem Ecclesiam sancti Iusti & sancti Pastoris,
 Leonon & sancti Pauli Confessoris, ubi ipse venera-
 bilis vir corpore requiescit, abbatiam sancti Lauren-
 tii, cum omnibus suis cellulis & villis atque terminis,
 cum summa integritate locorum, veluti in Præce-
 ptis monachorum ab antecessoribus nostris piissi-
 mis Regibus factis, perpetualiter concederemus; eo
 videlicet tenore, ut stipendia monachorum ibidem
 regentium juxta vires Præfulis non deficient. Con-
 cedimus præterea medietatem salinarum, telonei,
 portatici, & rasicæ, atque pascuarij ad eandem præ-
 fatam Ecclesiam, tam in Narbonensi quàm in Re-
 donensi Comitatu, undecunque Comes vel ejus Missus



receperit vel recipere debuerit aliquid exactio-
 Donamus etiam fiscos juxta Bassianum villam qui
 vocantur Cesaranus & villa Arsegij. Concedimus
 etiam ipsi Ecclesiæ, in Redensi Comitatu, villam
 quæ dicitur Limosus, cum suis Ecclesiis, & sanctæ
 Eulaliæ, atque Flactiano, vel cum omni sua integri-
 tate, ac membris sibi pertinentibus, atque farinariis,
 Donamus etiam ibi Villam longam, cum sancti Feli-
 cis Ecclesiam, & cum suis omnibus villaribus atque
 adjacentiis cunctis. Si verò infra istas villas homi-
 nes hostolenses vel Hispani fuerint, quicquid jus fis-
 ci inde exigere debet, totum ad opus sanctæ matris
 Ecclesiæ Narbonensis jure perpetuo concedimus
 obtinendum. Fiscos verò qui sunt in Biterrensi
 Comitatu, sancto Paulo Confessori à longo tempo-
 re collatos, & à potestate comitali injustè usurpa-
 tos, plenissimè reddidimus, atque eidem Ecclesiæ,
 sicut dignum est, per hoc nostræ auctoritatis Præ-
 ceptum confirmavimus: per quod decernimus atque
 jubemus ut nullus judiciariæ potestatis, nec ullus ex
 fidelibus nostris, in Ecclesias aut loca quæ deinceps
 jure & potestate ipsius Ecclesiæ divina pietas voluerit
 augere, ad causas audiendas, vel freda ceu tributa
 exigenda, aut mansiones vel paradas faciendas, aut
 fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ
 tam ingenuos quàm servos distringendos, aut ullas
 redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, no-
 stris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea
 quæ suprâ memorata sunt penitus exigere præsu-
 mat; sed liceat memorato Præsuli suisque successo-
 ribus sub nostra defensione quietè residere & nostræ
 parere jussioni. Et quicquid jus fisci exinde exigere
 poterat, totum nos pro æterna remuneratione et-
 dem concedimus Ecclesiæ, ut perpetuis temporibus
 Clericis ibidem Deo servientibus proficiat in aug-

mentum; quatenus rectores ipsius Ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus, cum Clero & populo sibi subiecto, pro nobis ac totius regni nostri stabilimento Domini misericordiam alacriter exorare delectet. Et ut hoc Præceptum nostræ auctoritatis inviolabile æternum obtineat vigorem, manu propria subterfirmavimus, & anulo nostro insigniri iussimus.

Signum Karlomanni gloriosissimi Regis.

Norbertus Notarius ad vicem Vulfardi Archiepiscopi recognovit.

Datum pridie Nonas Junij, anno tertio regni Karlomanni gloriosissimi Regis, Indictione XIII. Actum apud Pauliacum vicum in Dei nomine feliciter. Amen.

Hugo venerabilis Abba hoc ambassiavit.

III.

Præceptum Regis Karlomanni
pro Ecclesia Aurelianensi.

Ex Chartulario Ecclesiæ Aurelianensis.

IN nomine Dei æterni & adjutoris nostri Jesu Christi. Karlomannus gratia Dei Rex. Scripturam divinarum fluentia sedulo requirentibus ingenio, necnon promulgata canonum sollicitè relegentibus, perfacilè patet quòd quicumque Principum militatibus ecclesiasticis consulunt, non solum rei publicæ stabilimenta, quæ permaximè sunt necessaria, construunt, verùm etiam æternæ beatitudinis inenarrabile præmium sibi præparant possidendum. Compertum siquidem, non solum Episcoporum, sed etiam principum, sollicitæ, ad quorum notitiam quæ inferius

subnectenda sunt præ omnibus pertinet, verum etiam cunctorum fidelium nostrorum notitiæ esse volumus qualiter venerabilis Gauterius sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus nostram adiens celsitudinem, unâ cum consulto venerabili Hugonis Abbatis totiusque regni nostri utriusque ordinis procerum, significavit Ecclesiam sibi divinitus commissam quondam Privilegia sive Præcepta in eligendis sibi Pontificibus tam auctoritate apostolica quàmque patrum nostrorum confirmatione habuisse firmata. Quod lamentabili Normannorum persecutione cum multis aliis ejusdem Ecclesiæ librorum ac testamentorum copiis concrematione deperisse incendij non solum veridicorum fidelium nostrorum testatur relatio, verum etiam ipsius matris Ecclesiæ basilica à supradictis regni persecutoribus concremata certissimis prætendit indicis. His igitur venerabilis Episcopus Gauterius anxius, considerans suis diebus memorata instanti persecutione & Ecclesiam concrematam, & permaximè tanti ac singularis Privilegij sive Præcepti damnum, universalium utilitatum ipsius Ecclesiæ cupidus restaurator, juncto suis precibus inclito ac venerabili Hugone Abbate tutore nostro ac regni nostri maximo defensore, cum reliquis nostris fidelibus, sapientissimè nostram magnitudinem exoravit ut nostræ auctoritatis Præceptum super hoc suæ denuo confirmassemus Ecclesiæ, atque liberam à nostra parte licentiam eidem concessissemus antiquam auctoritatem more canonico à sede apostolica impetrandi. Petiit quoque memoratus venerabilis Episcopus ut de villis, Basilica scilicet & Ulmeto, quas piæ memoriæ avus noster Karolus Imperator suæ restituit Ecclesiæ, atque de villa Cadono, quam fuetam per deprecationem Hugonis v̄

venerabilis Abbatis eidem concessissemus Ecclesiæ,
 cum omnibus appendiciis ad easdem pertinenti-
 bus, necnon etiam de omnibus rebus quas præfa-
 tus Præsul tam in luminaribus quàmque etiam in
 omnium suorum Canonicorum usibus tam scilicet
 matri Ecclesiæ quàm reliquis sibi pertinentibus
 monasteriis hæctenus per testamentum delegavit, vel
 deinceps Deo propitio delegaturus canonicè est, no-
 stri Præcepti confirmassemus auctoritate; quatinus
 futuris temporibus in usus & stipendia & utilitate
 futurum superscriptæ Ecclesiæ vel monasteriorum
 eisdem pertinentium, sicut idem Pontifex canonicè
 testamenta disposuit, permanendo consistant. Hu-
 jus igitur humillimas petitiones consultu fidelium
 nostrorum curiosius pertractantes omnibus esse
 gratissimas, primò omnium pro amore Dei & ipsius
 sacratissimi loci veneratione, qui speciali ac divi-
 na benedictione, per manus scilicet Domini appa-
 ritionem, noscitur esse consecratus, necnon etiam
 prædicti venerabilis Abbatis petitionibus ac com-
 monitionibus exhortati, fieri quod præmissum est
 libenter decrevimus. Et ut deinceps hoc nostræ
 consuetudinis Præceptum per succedentia tempora vi-
 veat, relegatur, ametur, manu excellentiæ nostræ
 confirmavimus, & anuli nostri impressione si-
 gnificari iussimus. Datum III. Idus Augusti, anno
 regnante Karlomanno gloriosissimo Rege, Indi-
 ctione prima. Actum apud Melnacum villam &
 Vinnar Comitatu, in Dei nomine feliciter. Amen.
 Amen. Amen.



I V.

Præceptum Karoli Simplicis Francorum
Regis pro Ecclesia Narbonensi.

Ex authentico, quod extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina propitiante clementia Rex Francorum. Si locis sacris & divino cultui mancipatis emolumentum nostræ regis potestatis impendimus, augendo quæ non habent, corroborando quæ possident, restituendo etiam quæ ablata sunt, non solum regiam excellentiam imitamur, verum etiam ipso Domino propitio & sanctis ejus intervenientibus æternum nobis post temporalem coronam adfuturam liquido credimus. Quapropter noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium quam & futurorum industria quia accessit ad clementiam serenitatis nostræ Vulgo sanctæ Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, deprecans nobis ut cuidam fideli nostro Aigoni sanctæ Narbonensis ac Redensis Ecclesiæ Archipræsuli scripturas Ecclesiæ suæ renovando confirmassemus, & innotuit nobis de paupertate ejusdem episcopatus, & quemadmodum ipsa sedes & penè omnes Ecclesiæ ejusdem civitatis ruinae jam proximæ existerent, ita ut per ipsum nullatenus possent restaurari; deferens etiam quasdam auctoritates piissimorum Regum, Hludovici scilicet genitoris nostri, necnon Karlomanni fratris nostri, in quibus continebatur quòd Siebodus ejusdem Narbonæ Episcopus quædam receperit ad augmentum suæ Ecclesiæ beneficiola à se suisque suc-

cessoribus perpetualiter possidenda. Cujus petitionem necessariam & rationabilem esse cognoscetes, placuit celsitudini nostræ, pro remedio animarum genitoris & fratris nostri atque nostræ, quantum ad eandem Ecclesiam sanctorum Iusti & Pastoris, necnon & sancti Pauli Confessoris, ubi ipse venerabilis vir corpore requiescit, abbatiam sancti Laurentij cum omnibus suis cellulis & villis atque terminis, cum summa integritate locorum, veluti in Præceptis monachorum ab antecessoribus nostris piissimis Regibus factis, perpetualiter concederemus, eo videlicet tenore, ut stipendia monachorum ibidem degentium juxta vires Præsulis non deficient. Concedimus præterea medietatem salinarum, telonei, portatici, & rasiæ sive naufragij, atque pastuarij, ad eandem præfatam Ecclesiam, tam in Narbonensi quàm in Redensi Comitatu, undecunque Comes vel ejus Missus receperit vel recipere debuerit aliquid exactiois. Donamus etiam fiscos juxta Bassianum villam, qui vocantur Cesaranus & villa Arsegij. Concedimus etiam ipsi Ecclesiæ in Redensi Comitatu villam quæ dicitur Limosus, cum suis Ecclesiis, & sanctæ Eulaliæ, atque Flactiano, cum omni sua integritate, ac membris sibi pertinentibus, atque farinariis. Fiscos verò qui sunt in Biterrensi Comitatu, sancto Paulo Confessori à longo tempore conlatos, & à potestate comitali injustè usurpatos, plenissimè reddidimus, atque eidem Ecclesiæ, sicut dignum est, per hoc nostræ auctoritatis Præceptum confirmavimus. Addimus quoque præfatæ Ecclesiæ sanctorum Iusti & Pastoris ex nostra regali liberalitate, in Comitatu Bisaldunensi abbatiam sancti Stephani quæ nuncupatur Balniolas, cum Ecclesiis, cellulis, villis, villaribus, & omnibus adjacentiis suis, ac mancipiis utriusque se-

xus ad eundem locum pertinentibus. Et in Comitatu Narbonensi Montillium fiscum, cum terris & salinis & omnibus adjacentiis suis, necnon & Colonicas fiscum in eodem Comitatu situm. Terras quoque omnes & domos ac vineas quas Iudæi in ipso Comitatu possidere videntur, unde decimæ in Ecclesiis Dei exire consueverant, quocunque modo ipsas adquisierint possessiones, pro elemosyna nostra eidem concedimus Ecclesiæ. Similiter & fiscum Iuviniacum, cum Ecclesia. In Comitatu Nemosense, atque in suburbio castro Salavense, in valle Ocilianense, Ecclesiam sancti Saturnini, cum Villa Torta, & omnibus appendiciis suis. Addimus quoque præfatæ Ecclesiæ sanctorum Justi & Pastoris, ex nostra regali liberalitate, in Comitatu Redensi, abbatiam Cubarias, cum Ecclesiis, cellulis, villaribus, & omnibus adjacentiis suis, ac mancipiis utriusque sexus ad eundem locum pertinentibus. Si vero infra istas vel alias villas ejusdem Ecclesiæ homines hostolenses vel Hispani fuerint, quicquid jus fisci inde exigere debet, totum ad opus sanctæ matris Ecclesiæ Narbonensis jure perpetuo concedimus obtinendum, atque per hoc nostræ auctoritatis Præceptum confirmamus: per quod decernimus atque jubemus ut nullus judiciariæ potestatis, nec ullus ex fidelibus nostris, in Ecclesias aut loca quas moderno tempore possidet, vel quæ deinceps in jure & potestate Ecclesiæ ipsius divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm servos distringendos, aut ullas reditiones vel illicitas occasiones requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsu-

mat; sed liceat memorato Præsuli suisque successoribus sub nostra defensione quietè residere & nostræ parere jussioni. Et quicquid jus fisci exinde exigere poterat, totum pro æterna remuneratione eidem concedimus Ecclesiæ, ut perpetuis temporibus Clericis ibidem famulantibus proficiat in augmentum: quatinus rectores ipsius Ecclesiæ, cum omnibus ad se pertinentibus, cum Clero & populo sibi subiecto, pro nobis & totius regni nostri stabilimento Domini misericordiam alacriter exorare delectet. Et ut hoc Præceptum nostræ auctoritatis inviolabile ac æternum obtineat vigorem, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione jussimus sigillari.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.
Hagano Notarius ad vicem Rotgeri Archiepiscopi summi Cancellarij recognovit & subscripsit.

Data VII. Idus Iunij, Indictione x. anno xxx. regnante Domino Karolo, redintegrante xxv. largiore verò hereditate indepta xi. Actum in Setico contra Torn in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Epistola Fulberti Episcopi Carnotensis pro monachis Majoris-monasterij Turo-nensis.

Ex veteri codice MS.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fulbertus, non quidem meis meritis, sed gratia præveniente Redemptoris, Carnotensis Episcopus, Notum fieri volumus omnibus confratribus nostris

Presbyteris, Diaconibus, seu cunctis utriusque ordinis, Clericorum scilicet ac monachorum, tam presentibus quam futuris per ventura tempora succedentibus, qualiter monachi sancti Martini Majoris-monasterij nostram adierunt presentiam, humiliter deprecantes ut ob amorem Dei omnipotentis & sanctæ Mariæ Dei genitricis simulque jamdicti Confessoris Martini quandam Ecclesiam, Navoil nomine, ad Altare sanctæ ac beatissimæ virginis Mariæ pertinentem, eis emere emptamque possidere in perpetuum concederemus. Quod ita fecimus, Hilgodio Milite, cui de nostro beneficio pertinere videtur, assensum præbente. Coëmunt ergo eam & minimo pretio in posterum sibi vindicant ab Roberto quodam vasallo & à duobus filiis ejus Arnulfo & Norberto & matre eorum, qui eandem Ecclesiam de Vvallerio filio Gaucelini tenent, sub cujus jussu & assensu sancti Martini monachis venali conditione de reliquo habendam concedunt. Habent itaque & tenent & absque ulla inquietudine alicujus Episcopi seu alicujus hominis ab hodierna die & deinceps monachi Deo & sancto Martino inibi famulantes præfatam Ecclesiam & quicquid ad eam pertinere videtur securè teneant atque possideant. Consistit autem hæc Ecclesia in pago Vindocinensi, haud longè ab ipso castro seposita. Nomina vero testium qui ad hoc audiendum producti fuerunt, inferiùs annotata continentur. Teodericus Capicerius, Sigo Præcentor, Hildegarius Pupilla, Giroinus, Rainaldus Vicedominus, Girardus Bodellus, Gaußinus.



VI.

Acta concordiae initae inter Guifredum Archiepiscopum & Berengarium Vicecomitem Narbonensem anno MLXVI.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Manifestum sit omnibus hominibus praesentibus & futuris quod magna discordia erat inter Guifredum Narbonensem Archiepiscopum & Bernardum Berengarium Vicecomitem ejusdem civitatis. Ad ultimum venerunt in potestate & in manu Domni Raimundi Comitis sancti Aegidij, & Domni Raimundi Comitis Bedaldunensis, & Durandi Tolosani, & Raimundi Elenensis, & Berengarij Jerundensis Episcoporum, Sicardi Rainardi de Piriniano, & Bernardi de Minerba, & Ermengaldi de Corciano, & Raimundi Guillelmi de Fabrezano, Alfarici de sancto Nazario. In primis conqueritur Gifredus Narbonensis Archiepiscopus super Bernardum Berengarium Vicecomitem, quod aufert ei ipsam sedem sanctorum Justi & Pastoris, & terram quam ibidem est, & medietatem civitatis Narbonae ex parte Circij, & tures quae in eadem parte sunt, & ipsum Capitolium quod ibidem est, & medietatem castris de porta regia, & medietatem castris de porta aquaria, & introitum & exitum civitatis, & medietatem omnium liddarum quae veniunt in Narbona civitate sive per terram sive per aquam vel in suis terminis, & medietatem cordae, & piscationem Atacis, scilicet de molendina de Filo usque in stagnum. De cetero con-

queritur Guiffredus Archiepiscopus quòd aufert ei ipsas bordarias quæ sunt ultra pontem in parrochia sancti Pauli, in villa quæ dicitur Censerada, quæ est alodio sanctorum Justi & Pastoris, sicut sonat in Præceptis Regum. Quæ autem bordariæ sunt à capite pontis usque ad hortos ex parte Circij inter Ecclesiam sancti Pauli & flumen Atacis &c. Facta carta hujus concordiaæ II. Non. Octobris, anno ab incarnatione Domini MLXVI.

VII.

Litteræ Dalmatij Archiepiscopi Narbonensis, quibus Ecclesiam sanctæ Mariæ Narbonensis (vulgò *Nostre-Dame de la Mourguier*) subjicit monasterio Massiliensi.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN nomine Domini. Præsentibus sit notum, & futuris non sit incognitum, quia ego Dalmacius sanctæ primæ sedis Narbonensis Archiepiscopus donator sum Deo & sanctæ Mariæ sanctoque Victori cænobio Massiliensi & Abbati Richardo & successoribus suis & monachis ejusdem cænobij præsentibus & futuris. Per hoc pactum scripturæ dono eis Ecclesiam nostræ diocesis, cum decimis & primiciis & domibus & oblationibus vivorum & mortuorum & terminis & pertinentiis suis omnibus, simul cum ipsa condamina quam solitus erat tenere Pontius Mainardus, & cum ipsis hortis, olearum videlicet & olerum quos ibi dedi in dedicatione ejusdem Ecclesiæ coram Narbonensi Clero & populo. Quæ Ec-

clesia, sanctæ Mariæ nomine nuncupata, est con-
 structa in suburbio Narbonensi, & à me & à suffra-
 ganeis meis catholicis Episcopis solemniter conse-
 crata. Auctoritate etenim sanctorum canonum ful-
 tus, qui præcipiunt Episcopum posse construere mo-
 nasterium in diocesanea parrochia diocesis suæ, at-
 que eam de bonis Ecclesiæ suæ ditare, ut monachi
 ibi possint quietè Deo servire, hoc facio, atque ideo
 ut possim habere adiutores & cooperatores religio-
 sos viros, cum quibus ego & successores mei legiti-
 mè possimus opus Dei perficere. Hactenus enim hæc
 prædicta Ecclesia à longo jam tempore est injustè
 possessa à Simoniacis & Nicolaitis Clericis & laicali-
 bus personis. Ideoque religioni eam applicare cu-
 ravi, secundùm mutationem dexteræ Excelsi, ut ibi
 inhabitantes studeant eundem locum meliorare.
 Quapropter ego prædictus Archiepiscopus & hoc
 donum, quod illic modò præbeo, ibi confirmo, &
 quicquid, Deo donante, ibi augmentando in post-
 erodum ego vel alij homines ibi donaverimus. Unde
 constituo ut census annuatim persolvatur Ecclesiæ
 sanctorum Iusti & Pastoris, in festivitate videlicet
 eorum, ab habitatoribus ejusdem loci, id est, tres
 libræ ceræ. Si verò, quod absit, aliquis successorum
 meorum hoc infringere voluerit, & contra prædi-
 ctam donationem venire tentaverit, hoc nullo modo
 agere possit; sed excommunicationi subjaceat usque-
 quo respiscat, & insuper auctoritas apostolicæ se-
 dis, sub cujus defensione Ecclesia Massiliensis con-
 sistit, eum prohibeat, quam monachis ipsius Eccle-
 siæ in hoc negotio appellare liceat. Et ut hæc dona-
 tio firmum obtineat roborem, manu propria confir-
 mo, & subterius annotatos firmare præcipio. Facta
 carta donationis hujus XIII. Kal. Maij, anno ab in-
 carnatione Domini MLXXXVI. Indictione VIII. Si-

gnum Vvillielmi Episcopi Tolonensis. Signum Arnaldi Abbatis Castrensis. Signum Vvillielmi Abbatis Salmodiensis. Signum Stephani Clerici. Signum Raimundi Comitis Ruthenensis & Narbonensis. Nos testes, qui hanc cartam jussi firmavimus.

VIII.

Litteræ Dalmatij Archiepiscopi Narbonensis, quibus Ecclesiam sanctæ Mariæ Narbonensis donat monasterio Massiliensi.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN Dei nomine. Ego Dalmatius Narbonensis Archiepiscopus instinctu divinæ visitationis cognoscens fluctuationes & afflictiones Ecclesiarum Dei, & specialiter desolationem & miserabilem captivitatem Ecclesiæ sanctæ Mariæ suburbanæ, quam per Dei gratiam à nonnullis detrimentis & simoniaca hæresi liberaverim, & cupiens illam in perpetuo statu catholicæ fidei restituere, unâ cum consensu & voluntate Clericorum sancti Iusti & Pastoris, volo & concedo prædictam Ecclesiam beatæ Mariæ suburbanæ ordinandam & perpetuò regendam in potestate & regimine Domni Ricardi Massiliensis Abbatis ejusque successorum & eorum monachorum tam præsentium quam futurorum regulariter secundum possibilitatem loci ibi degentium. Salva reverentia & canonica obedientia Ecclesiæ sancti Iusti & Archiepiscopi & Clericorum ejus, & rectitudine Ecclesiæ sancti Pauli. Et si quid ortum fuerit de antiquis consuetudinibus inter Ecclesiam sancti Pauli & Ec-

ecclesiam beatæ Mariæ , in iudicio Archiepiscopi vel
 Clericorum sancti Iusti determinetur. Et quoniam
 ex antiquis decretis sanctorum patrum Pontificum
 licentiam & auctoritatem habemus de ecclesiastico
 iure nostræ Ecclesiæ cum consilio Clericorum consti-
 tuere monasterium sub nostra diocesi , ubicunque
 fuerit velle , volumus & constituimus cum consensu
 & voluntate Clericorum sancti Iusti , auctorizamus
 Ecclesiam beatæ Mariæ suburbanæ , cum omnibus
 sibi pertinentibus modò habitis & inantea justè ad-
 quisitis , in monastico ordine & religione perpetuò
 consistere : quatinus in eodem loco servi Dei sub re-
 gimine & ordinatione Massiliensis Abbatis liberè &
 securè seruiant Deo , & perpetuò quietam ducant
 vitam. Et quia Massilienses fratres de summa pau-
 pertate & misera captivitate cum Dei adiutorio præ-
 dictam sublevaverunt Ecclesiam , volumus & decer-
 nimus in potestate & regimine Massiliensis Abbatis
 perpetualitèr esse. Salva reverentia & obedientia
 Ecclesiæ sancti Iusti & Clericorum ejus , & reveren-
 ti rectitudine sancti Pauli. Mandamus etiam & in-
 terdicimus & omni auctoritate firmamus ut nos ne-
 que successores nostri neque aliqua persona injustè
 inquietare vel auferre præsumat prædictam Eccle-
 siam Massiliensibus fratribus regulariter secundum
 possibilitatem loci ibidem viventibus , qui eam de
 tanta sublevaverunt paupertate & miserabili capti-
 vitate. Et quia alodium scimus sancti Iusti esse , vo-
 lumus & reservamus & decernimus & constituimus
 ut per unumquemque annum per rememorationem
 & recognitionem donent tres libras ceræ Ecclesiæ
 sancti Iusti , in eorum festivitate , monachi Massi-
 lienses , qui in prædicta Ecclesia beatæ Mariæ sub-
 urbanæ consisterint. Reservata etiam , sicut prædi-
 cimus , & salva reverentia & canonica obedientia

Ecclesiæ sancti Justi & Clericorum ejus, quam filia Ecclesia justè debet exhibere matri suæ Ecclesiæ, & æquitate Ecclesiæ sancti Pauli. Facta ista scriptura concessionis & commendationis XI III. Kal. Octobr. anno millesimo LXXXVIII. incarnationis dominicæ, regnante Philippo Rege. Signum Dalmatij Narbonensis Archiepiscopi, qui hanc scripturam scribere fecit & firmavit, & hos testes firmare rogavit. Signum Petri Carcassonensis Episcopi. Signum Bertrandi Barchinonensis Episcopi. Signum Bertrandi Archidiaconi. Signum Petri Giralli. Signum Petri Salomonis Sacristæ. Signum Arberti Gramatici. Signum Eneas. Signum Guidonis. Signum Petri Udalgerij. Signum Bernardi Raimundi, & ceterorum Clericorum.

I X.

Litteræ Dalmatij Archiepiscopi Narbonensis, quibus Ecclesiam sancti Grisanti subjicit monasterio Massiliensi.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN Christi nomine. Ego Dalmacius gratia Dei Narbonensis Archiepiscopus, divinæ miserationis respectu cupiens reintegrare & in ecclesiastico & in pristino statu restaurare Ecclesiam Dei mihi commissam, & de miserabili captivitate & destructione, qua à pravus hominibus deprimitur, liberam reddere, quia per me ad plenum id agere non possum, omnipotentis Dei & religiosorum virorum invoco consilium & adjutorium. Hac siquidem inspiratus visitatione & voluntate, recognoscens Ecclesiam

Ecclesiam sanctissimi martyris Grisanti diuturna captivitate & desolatione funditus destructam, & jam hereditaria & laicali successione in tantum nefario modo possessam ut absque ecclesiastico & divino officio & absque omnibus prædiis & decimis per multa tempora summa miserabilem defleret captivitatem, cum etiam facta est multorum quondam monasterium fuisse, unâ cum consilio & voluntate nostræ scilicet Narbonensis Ecclesiæ Clericorum, Vvilelmi videlicet Abbatis sancti Pauli, & Archidiaconorum, Bernardi videlicet Rainardi, atque Vvilelmi Amelij, necne Raimundi Udalgerij, necnon Petri Gaucelini, atque Petri Geraldi Sacristæ, & aliorum, tradimus & concedimus eandem prædictam Ecclesiam sancti Grisanti, cum decimis & primiciis omnibusque sibi pertinentibus, beatæ Dei genitrici Mariæ suburbantæ & beato Victori martyri Massiliensi monasterio & in potestate & in perpetuo regimine Domni Ricardi Massiliensis Abbatis & successorum ejus. Quæ sita in territorio Narbonensi, non longè à suburbio distans. Quicquid habet vel habere debet & inantea per Dei misericordiam legaliter adquisierit, totum ab integro cum omni sua melioratione committimus, tradimus, & perpetuo regimine concedimus beatæ Mariæ & beato Victori monasterio Massiliensi, ejusdemque Domno Ricardo Abbati, ejusque in perpetuum successoribus. Salva tamen reverentia & fidelitate Narbonensis Ecclesiæ. Tali videlicet conditione & tenore, ut ad honorem omnipotentis Dei reædificare & fideliter construere & restaurare studeatis, & per annumquemque annum pro reverentia & recognitione beatorum martyrum Justi & Pastoris, eisdem beatis martyribus Justo & Pastori, in eorum festivitatem, unam libram incensi reddatis. Quòd si quis

contra hanc cartam traditionis & perpetuæ concessionis venerit ad interrumpendum, non hoc valeat vendicare, sed componat in duplo, & insuper iram omnipotentis Dei sub vinculo anathematis incurrat, & inantea firma & stabilis permaneat omni tempore. Facta ista carta concessionis & confirmationis xii. Kal. Maij, anno millesimo nonagesimo dominicæ incarnationis. Dalmaciûs gratia Dei Narbonensis Archiepiscopus, qui hanc cartam fecit, & testes firmare rogavit. † Vvilelmus Abbas sancti Pauli &c.

X.

De laicis res ecclesiasticas possidentibus.

Ex veteri Chartulario Ecclesie Cadurcensis.

HÆc est memorabilis descriptio qualiter Ecclesia beati Genesij de Asnago in dominio matris Ecclesie Caturcensis pervenerit. Scimus quod prædictam Ecclesiam dudum possedit pro portione hereditatis sue Ugo de Faiedo vocatus, cum divisisset paternum honorem cum fratribus suis. Cui Ugoni confirmaverunt idem fratres sui fide sua, dextras sibi dantes ne in Ecclesia illa vel omni ecclesiastico negotio aliquam sibi molestiam inferrent, sed faceret inde quicquid vellet. Habuit Ugo Ecclesiam. Inde vixit pluribus annis cum uxore & filiis filiabusque suis. Unde orta est seditio in populo quod oblationes suas & ecclesiastica negotia secularis & laicalis persona consumeret, & plerumque etiam ipso oblationis tempore coram omnibus mulieres quod offerebatur acciperent. Innovuit ve-

to res nobilissimo Pontifici Geraldo; & clamore
virorum commotus, Ecclesiam sub anathemate
posuit quoadusque Ugo dimitteret Ecclesiam, quam
diu injustè possederat, sibi & sacerdotibus Chri-
sti. Cujus excommunicationem parvipendens Ugo,
diutius perturbavit ecclesiastica jura. Eodem vero
tempore Dominus Geraldus inclitus sacerdos, de
sancto Vincentio dictus, ejusdem loci incola, ire
Ierolimam disposuerat. Qui accepto consilio à
quibusdam nobilibus melius sibi esse, si pecuniam,
quam deferre volebat, pro liberanda Ecclesia im-
pertiret, adquevint consultibus, ut si non Christi
dilectione, vel damnationis timore, saltem pecu-
niæ adeptione ab iniquitate sua Ugo resipisceret.
Unde habuit colloquium Geraldus cum eodem su-
pradicto Ugone, ut daret Ecclesiam beato protho-
martyri Stephani & Domino G. Episcopo & Cano-
nicis regularibus Caturcensis Ecclesiæ, accipiens
pecuniam oportuno tempore pacto. Quibus decre-
tis, accepit Ugo cl. solidos à Geraldo de sancto
Vicentio pro liberatione Ecclesiæ, filiumque suum
nomine Geraldum eodem placito in Ecclesia Ca-
turcensi sine omni omnino pecunia fieri Canoni-
cum impetravit. Eodem vero modo Guirbertus
nepos ejus, qui cartam partem possidebat ejusdem
Ecclesiæ, accepit à Geraldo de sancta Speria no-
minato l. x. solidos. Tunc uterque, scilicet Ugo
refatus, & Guirbertus nepos ejus, dederunt con-
cesserunt beato Stephano & Domino G. Episcopo
& Canonicis Caturcensibus quicquid Ecclesia ju-
ste vel injustè aliquo ingenio possidebant vel re-
quirebant. Facta est largicio ista & istud negotium
consilio & voluntate & auctoritate Girberti de La-
vernia & fratrum suorum & Artmandi de Campo-
rosso, per quorum manus donatores isti Ecclesiam

possidere videbantur. Accepit quoque idem Guirbertus de Lavernia dominus terræ illius cum fratribus suis, quia istud fieri concessit, CL. solidos à Geraldo præfato de sancto Vincentio. Dedit etiam ipse Guirbertus & fratres ejus beato Stephano & Caturcensi Ecclesiæ quicquid in Ecclesia de Asnago vel ipsi in dominio vel aliqui per eorum manum habebant. Insuper verò concessit cum hisdem fratribus suis ut si quis Miles vel alicujus conditionis homo vel femina dare voluerit beato Stephano quacunque occasione aliquid de his quæ per eorum manum habere videtur, ipsi omni securitate & auctoritate confirmarent fieri.

XI.

Epistola civium Narbonensium ad Honorium III. Papam, de diruendis muris Narbonensibus ad mandatum Simonis Comitis Montisfortis.

Ex archivo regio Parisiensi.

SANCTISSIMO Patri ac Domino suo Honorio Dei gratia Summo Pontifici, omnes cives Narbonæ, tam civitatis, quàm suburbij, cum omni devotione, reverentia, & humilitate, salutem, vitam, gloriam, & honorem. Sanctitati vestræ notum facimus quòd cum Dominus S. Dei providentia Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, ac Vicecomes Biterræ concedat nobis licentiam ut ad cognitionem nobilis viri G. Senescalli Biterrensis & R. de Poisiaco clausuram circa civitatem & burgum Narbonæ facia-

imus, juravimus firmiterque ac bona fide & sine omni malo ingenio promissimus quòd quancumque prædictus Dominus S. nobis præceperit vel mandaverit per litteras suas seu per nuntium suum certum, nos sine omni mora & sine omni excusatione ac difficultate clausuram diruamus prædictam ad suam penitus voluntatem. Juravimus præterea quòd faiditos de terra sua, ruptarios, & quoslibet alios inimicos & proditores Comitum memorati post prohibitionem suam nullo modo recipiemus scienter. Si verò aliquis vel aliqui de prædictis faiditis, proditoribus, & inimicis dicti Comitum nostram civitatem intrarent, Bajulus ipsius Comitum, vel ille qui mandato ejus esset in civitate prædicta, caperet eos, nobis non prohibentibus; immo ad submonitionem ipsius Bajuli, vel illius qui loco ipsius esset, eidem ad capiendos dictos faiditos, proditores, vel inimicos auxilium præstaremus. Ad quæ omnia & singula suprædicta bona fide & sine omni malo ingenio fideliter adimplenda & firmiter observanda nos omnes prædicti cives tam civitatis quàm suburbij Narbonæ per propria juramenta quæ nos fecimus super sancta Dei Evangelia, & per præsentem litteras sigillis nostris munitas, quorum duo paria facta sunt per alphabetum divisa, nos fideliter obligamus. Datum Narbonæ anno nativitatis Christi MCCXVIII. tertio Kal. Marci.



XII.

Capitula à Petro Archiepiscopo Narbonensi proposita adversus Amalricum Vicecomitem Narbonensem anno MCCXLII.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

ANNO Domini MCCXLII. Dominica tertiæ mensis Augusti, in Octavis sancti Laurentij, Dominus Amarricus per violentiam occupavit omnes res Domini Archiepiscopi quas habebat & tenebat infra Narbonam & pertinentiis suis, quæ Amalricus reddere noluit, scilicet Palatium novum cum suis pertinentiis, & jurisdictionem, hospitia militum quæ sunt & fuerunt tenentia se cum muris civitatis, de turre Mauresca usque ad portam regiam & alibi quæ sunt in civitate, quæ tenentur ab Archiepiscopo, quæ turris tenet se cum castro Amalrici jamdicti, & jurisdictionem suburbij de Bellovidere, cum forno, & jurisdictionem portalis hospitalis sancti Johannis usque ad portale de Brol portale portæ Episcopalis. Item evulsit stacas sive metas positas super divisione medietatis civitatis, item justitias sanguinis & adulterij, item jurisdictionem præconum; in quibus nomen Domini Archiepiscopi solitum præponi, item omnes tabulas in foro civitatis Narbonæ; item medietatem leddæ majoris, & medietatem ponderis ferri & mensuræ cordæ, & medietatem mensuræ vermeilh, & medietatem leddæ panis, & medietatem furnorum, & medietatem tincturæ pannorum Granet, & medietatem moneta,

& mansum & honorem sive jurisdictionem quam habebat Jordanus de sancto Felice intus Narbonam & extra, & mansum Petri Boteti, qui quondam & omnes claves portaliū burgi, & medietatem clavium portæ regiæ, & omnes claves portaliū de Bellovidere, & de portabibali, & de Lauraco. Item furnum de burgo, cum molendino. Item feudum Castri de etiam ipsum Castrum. Item feudum de Cumbis, quod tenent filij quondam Johannis Garfias à Domino Archiepiscopo. Item Vsatia de bastida Gasqueti, quam tenet Johannes Bistanni. Item conqueritur Dominus Archiepiscopus eò quòd fecit præconizari Dominus Amalricus sub pœna corporum, ne quis de Bellovidere ausus esset venire pro aliqua querimonia faciendâ ad Curiam Domini Archiepiscopi supradicti. Item eò quòd fecit præconizari per totam civitatem & burgum sub pœna corporum & averi, ne aliquis ausus esset querimoniam facere Curie Domini Archiepiscopi occasione sanguinis & adulterij. Item habuit de justiciis quæ pertinent Domino Archiepiscopo de Arnaudo de sancto Fulco & filia Guillelmi Magneci dcc. solidos Melgorienses. Item cccc. solidos de Arnaldo Guilaberti. Item ccc. solidos de Petro Blanquerio, de adulterio. Item D. solidos Melgorienses de Estraderio. Item habuit de prima amparatione de justiciis, factò computo cum Petro Subvicario tum Domini A. ccc. solidos Melgorienses minus xlii. denariis Melgoriensibus. Item habuit mansum Justi de Bellovidere & omnes res suas, pro forisfacto quod fecit. Quæ omnia prædicta sunt & semper fuerunt & de jure spectant ad jurisdictionem Domini Archiepiscopi. Item habuit dictus Amalricus de rebus mobilibus Domini Archiepiscopi

c l. faumatas de calce, quas habuerunt homines de
 Villanova de mandato Domini Amalrici. Item
 lxxxx. filas, quas habuerunt idem homines de Vil-
 lanova de mandato eiusdem. Item viiii. bigas gros-
 sas, quas habuerunt homines Petri de Villanova de
 mandato ipsius A. Item cclxxviii. inter filas &
 bigas, quas habuit Dominus A. Item habuit xxv.
 boves. Item habuit dictus A. duos pollinos equi-
 nos, quemlibet de tribus annis, & unam equam.
 Item xxv. inter porcos & truegas. Item x. porcellos.
 Item viii. oves, & viii. agnos, & iii. vaccas. Item
 i. inter pullos, gallinas, & capones. Item iiii. flaf-
 fatas. Item iiii. vomeres. Item xxv. anferes. Item
 quinque millia reules. Item iii. capolatas de petra,
 quas habuerunt homines de Villanova. Item unam
 ballistam de fusto, cum uno croco, & carcaisso, &
 cairellis. Item D. cairellos. Item unam sellam
 equi. Item duo tentoria. Item duas molas de petra,
 quæ bene valent xlviij. solidos Melgorienses. Item
 petit Dominus Archiepiscopus omnes redditus qui
 exiverunt omnium leddarum & Robinæ, & xviii.
 modios vini. Et omnes res superius nominatas at-
 que scriptas habebat, tenebat, & possidebat Domi-
 nus Archiepiscopus quando Comes Tholosanus in-
 travit Narbonam. Item compulit ad redemptionem
 omnia Castra ipsius Archiepiscopi. Et bladum & res
 alias multas hominum suorum, quæ asportaverant
 Narbonam, & omnes decimas totius terræ ipsius
 Amalricus & Militum suorum similiter abstulit ei-
 dem Domino Archiepiscopo. Nec restituit furcas
 de Ventenaco secundum quod Dominus Rex dede-
 rat in mandatis. Item postquam dictus Amalricus
 venit de Francia, abstulit dicto Domino Archiepis-
 copo & per violentiam abstraxit de horreis suis
 ccl. sestaria hordei & xxv. sestaria frumenti. Item

anno & die quo supra dictus Amalricus amparavit curiam dicti Domini Archiepiscopi, & flexum, & porum bestiarum, & animalia, & omnes res quæ erant in curia prædicta & dominium totum quod Dominus Archiepiscopus habet in civitate Narbon. & suburbio de Bellovidere. Item LII. libras VI. solidos, VIII. denarios Melgorienses de ledda majori pro solutione VIII. mensium, scilicet pro Julio, Augusto, Septembri, & Octobri, Novembri, Decembri, Januario, & Februario. Item XXII. denarios Melgorienses de ledda furnorum infra tempus antedictum. Item II. solidos Melgorienses de ledda panis infra tempus antedictum. Item x. libras minùs v. solidos Melgor. habuit dictus A. de loguerio tabularum civitatis.

XIII.

Bulla Innocentij IV. ad Guillelmum Archiepiscopum Narbonensem, qua ei concedit ut quandiu vixerit, crucem ante se faciat deferri per provinciam Narbonensem.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri Archiepiscopo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Ut frequenter resumat memoria fidelis quilibet Passionem Domini Jesu Christi, crux portatur, exponitur, & habetur, in qua verè mors legitur creatoris, scilicet victoria, nostra salus. Hanc namque in signum dignitatis majoris, ad honorem & laudem filij Dei vivi, Romanus Pontifex concedit quibusdam Præla-

tis majori præminentibus dignitate per certa terrarum spatia præferendam, ut in ipsa fidelium turba concurrentium gloriatur, in dispersione verò dentur & fugiant infideles. Volentes itaque personam tuam, tanquam nobile membrum Ecclesiæ, quanta possumus honorificentia prævenire ac potioribus dotare insigniis, ut quò gradu præmines altiori, majoribus honoribus attollaris, sicque fias Dei cultoribus amabilis & decorus, erubescant & à facie tua fugiant infideles, quibus tua provincia, sicut asseritur, non est munda, tuis precibus inclinati, quòd ad exaltationem & gloriam nominis Christiani tuique honoris & dignitatis augmentum, ante te per tuam provinciam deportari facias, quandiu vixeris, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ cõcessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Lugduni vi. Idus Februarij, pontificatus nostri anno tertio.

XIV.

INNOCENTII IV. ROMANI PONTIFICIS
epistola ad Guilielmum Episcopum Parisiensem, ut Regem ac Reginam moneat
& inducat ad servanda privilegia Ecclesiarum provincie Narbonensis.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum
Dei venerabili fratri Episcopo Parisiensi salutem
& apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabi-

les fratres nostri Archiepiscopus Narbonensis ejus-
que suffraganei ac alij Ecclesiarum Prælati provin-
ciæ Narbonensis conquestione monstrarunt quòd
cùm eorum feudatarios banniri seu ipsos vel eorum
uxores de hæretica pravitate damnari contingit, of-
ficiales carissimorum in Christo filiorum nostrorum
Regis ac B. Reginae Franciæ illustrium hujusmodi
hæreticorum seu damnatorum bona ad eorum Ec-
clesias pertinentia, necnon ea quæ penes eosdem
bannitos seu damnatos sunt deposita, pro sua acci-
piunt voluntate in earundem Ecclesiarum maximum
detrimentum. Quia verò talia non possunt salva
conscientia detineri, nos, qui eorum desideramus
salutem, celsitudinem regiam duximus ro-
gandam ut bona ipsa Ecclesiis ad quas pertinent,
ac etiam depositoribus deposita, pro divina & apo-
stolica sedis & nostra reverentia, univèrsa restitui fa-
cientes, prædictis officialibus suis inhi-beant ut de
cetero contra easdem Ecclesias similia non atten-
tent, preces nostras in hac parte taliter impleturi
quòd eadem Ecclesiæ suis juribus non fraudentur,
& nos mansuetudinem eorum dignis in Domino lau-
dibus commendemus, sibi-que accrescat proinde
meritorum cumulus apud Deum. Quocirca frater-
nitati tuæ per apostolica scripta mandamus quate-
nus prædictos Regem & Reginam ad id moneas at-
tentius & inducas. Datum Lugduni xii. Kal. Julij,
pontificatus nostri anno tertio.



X V.

Acta concordie initæ inter Prælatos provincie Narbonensis & Guidonem Fulcodij Clericum sive Consiliarium Ludovici IX. Francorum Regis, de bonis hæreticorum & faiditorum.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

Cùm multorum immobilia bona Dominus Rex occupaverit in provincia Narbonensi, vel ejus Bailivi pro ipso, ea videlicet ratione quia possessores eorum faiditi inventi fuerant vel hæretica pravitate respersi, quæ siquidem bona Dominus Rex vel tenet ad manum suam vel in alios transtulit feudi titulo suo nomine possidenda, proponebāt Ecclesiarum rectores in eadem provincia constituti quòd Dominus Rex in hac parte ipsis Ecclesiis præjudicium faciebat in multis, quia plura ex bonis prædictis de dominio erant Ecclesiarum, ita quòd ipsorum possessores, à quibus propter faidimentum vel hæresim fuerant avocata, eadem tenebant ab Ecclesiis antedictis, & ideo, si ea commiserunt, non Domino Regi sed potiùs ipsis Ecclesiis fuerant applicanda. Et idem dicebant de bonis mobilibus hæreticorum & faiditorum qui in terris & locis Ecclesiarum habebant domicilium, quæ similiter videbantur ipsis Ecclesiis resignanda. Pro parte verò Domini Regis è contrario dicebatur quòd hæc omnia ad ipsum jure regalie & majoris dominij pertinebant, & insuper Comites Montisfortis retroactis temporibus sine contradictione & lite hujusmodi bona oc-

cupaverant & tenuerant jure suo ; quin etiam confiscationes hujusmodi sedis apostolicæ fuerant auctoritate firmatæ. Ad tollendam igitur hujus materiam querimoniam fuit inter Prælatos & rectores Ecclesiarum Narbonensis provinciæ infra scriptos ex parte una, & Guidonem Fulcodij Clericum Domini Regis ex altera, salva ejusdem Domini Regis voluntate tractatum quod si ex nunc bona alicujus personæ ob fraudamentum vel hæreticam pravitatem confiscari contigerit in domaniis vel feudis vel retrofeudis Ecclesiarum dictarum, bona omnia mobilia sint Domini Regis in solidum, immobilia verò quæ ab Ecclesia tenebuntur in feudum vel emphytheosim seu censivam, vel de ipsorum jurisdictione erunt, ad Dominum Regem & ipsas Ecclesias æquis pertineant portionibus ; ita tamen quod rector Ecclesiæ à quo possessio confiscata tenebitur dicto modo, possit infra duos menses post confiscationem partem Domino Regi competentem sibi & suæ Ecclesiæ retinere refuso justo pretio Domino Regi vel Senescallo ipsius. Cum quo siquidem Senescallo si de pretio convenire non poterit, stetur super æstimatione ejusdem juramento trium personarum communiter electarum quæ in territorio in quo erit prædicta possessio legaliores poterint inveniri. Si verò infra duos menses rector Ecclesiæ hoc facere noluerit vel nequiverit, extunc infra annum & diem Dominus Rex vel Senescallus ipsius dictam possessionem de manû sua eicere & in personam idoneam teneatur sine difficultate transferrè, quæ pro eadem faciat Ecclesiæ quod possessor pristinus faciebat seu facere tenebatur. Dicimus autem personam idoneam, quæ similis sit conditionis pristino possessori ; adeo ut si ille erat rusticus vel burgenfis, possessionem hujusmodi Domino Regi vel Senescallo suo transferri non li-

ceat in locum religiosum vel ecclesiasticam militaremve personam. Quòd si infra annum & diem huiusmodi possessio de manu Domini Regis ejecta non fuerit secundum formam superius assignatam, liceat ex tunc Ecclesiæ sub qua erit, eam sua auctoritate apprehendere & sine cuiusque contradictione tenere, & fructus suos facere & lucrari, donec fuerit in aliam personam translata sicut superius est expressum. Excipimus autem à prædictis, quòd si castrum aliquod, villa, vel burgus Ecclesiæ, sicut interdum contigit, contra Dominum Regem & Ecclesiam rebellaverit, nulla fiat Domino Regi confiscatio ex hac causa; sed subacta contumacia rebellantis, jus secum integrum ad Ecclesiam revertetur, ne delictum subditorum in damnum redundet Ecclesiæ innocentis. De bonis verò mobilibus à Domino Rege vel suis hac de causa hactenus occupatis Dominus Rex nihil reddere teneatur. De immobilibus verò ante hanc diem commissis, quæ Dominus Rex ad manum suam habet & tenet, sevetur forma superscripta de bonis in posterum committendis. De iis verò quæ in alios transtulit actum est quòd Dominus Rex velit & mandet quòd ab Ecclesia teneantur quæ prius tenebantur ab ipsa; & si ab iis in quos ea transtulit homagium vel fidelitatem pro ipsis recepit, ab eis eosdem absolvat. Ab hac autem compositione excipiuntur Ecclesiæ quæ cum Domino Rege vel patre ejus specialem super iis pacem habent. Excepit etiam dictus Guido Fulcodij nominatim quicquid de Baronia quondam Vicecomitis Biterrensis, de iis scilicet quæ ad manum suam Vicecomites tenebant, Dominus Rex modò tenet: pro quibus, si ea constaret esse de feudo Ecclesiæ, Dominus Rex in vicem fidelitatis, quam eum non decet alicui facere, recompensationem Ecclesiæ faciat com-

petentem, & bona hujusmodi penes Dominum Regem remaneant in perpetuum pleno jure. Retinuit etiam Guido Fulcodij quòd si possent in posterum litteræ sedis apostolicæ reperiri, vel Legatorum ejusdem, vel Prælatorum provinciæ Narbonensis, per quas constaret in bonis hujusmodi Dominum Regem pinguius & plenius jus habere, salvum ei & successoribus remaneat, compositione hujusmodi non obstante. Versa vice protestati fuerunt Prælati prædicti quòd per hanc compositionem nec se nec castra sua vel villas vel loca alia Ecclesiarum suarum Domino Regi subiciunt aut supponunt, nec aliquid ei jus novum ex hac compositione dare intendunt.

XVI.

Innocentij Papæ I V. epistola ad sanctum Ludovicum Regem Francorum in gratiam Archiepiscopi Narbonensis.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Regi Franciæ illustri salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Archiepiscopus Narbonensis conquestione monstravit quòd nobilis vir Amalricus Vicecomes Narbonensis, fidelitatis & homagij vinculo, quo tenetur eidem Archiepiscopo & ejus Ecclesiæ, vilipenso, ipsum majoribus justiciis terræ suæ, in quarum possessione prædecessores ejus & ipse fuerunt longo tempore, pro sua spoliatis voluntate, homines ejus capere & incarceratione ac diversimodè in jura ejus obrepere non abs-

que juris injuria non veretur, aliàs ipsum & Ecclesiam suam multipliciter molestando. Quia verò ad dignitatem pertinet regiam Ecclesias & personas ecclesiasticas defensare, celsitudinem tuam rogamus & hortamur attentè quatinus considerato clementer devotionis constantiam quam idem Archiepiscopus & prædecessores ejus, qui fuerunt pro tempore, ad te tuosque progenitores habuisse noscuntur non absque multis oneribus expensarum, manutenens eundem Archiepiscopum & ejus Ecclesiam ac defendens, non permittas ipsum & ejus Ecclesiam à prædicto A. seu quolibet alio indebitè molestari, molestatores eorum, si qui fuerint, potestate tibi cœlitus tradita compescendo, quin etiam compellendo præfatum A. quòd eidem Archiepiscopo de illatis injuriis satisfactionem exhibeat competentem, & ab ipsius molestatione super præmissis & aliis de cetero penitè conquescat. Datum Lugduni III. Kal. Junij, pontificatus nostri anno quarto.

XVII.

Bulla Innocentij IV. qua declarat Inquisitores hæreticæ pravitatis nihil agere debere absque Archiepiscopo Narbonensi, alioqui perperam & frustra agere id quod agunt.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Abbati sancti Jacobi Biterrensis salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Archiepiscopus Narbonensis

bonensis petitione monstravit quòd cum fratri Petro Duranti ordinis Prædicatorum ejusque collegis tunc Inquisitoribus pravitatis hæreticæ à sede apostolica in Narbonensi provincia deputatis expressè injunctum fuerit ab eadem sede ut tam in absolvendo, vel reconciliando, quam etiam condemnando illos quos de pravitate prædicta reos esse constaret, procederent de ipsius Archiepiscopi conniventia & assensu, iidem Inquisitores circumventi à Petro de Cugunhano Milite Narbonensis diocesis, mandati formam perperam excedentes, ipsum, quem per inquisitionem invenerant vitio prædicto respersum, eodem irrequisito Archiepiscopo de facto absolvere in scandalum Cleri & populi & derogationem orthodoxæ fidei præsumserunt. Quocirca discretionis per apostolica scripta mandamus quatinus si est facta, prædictorum Inquisitorum processum, quatenus de facto processit, legitimè auctoritate nostra revocans, in eodem negotio juxta formam datam illis Inquisitoribus procedere non omittas, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni III. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XVIII.

Innocentij IV. epistola ad Episcopum Carcassonensem, qua revocat privilegium Vicecomitissæ Narbonensi concessum adversus interdictum ecclesiasticum.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum
Dei venerabili fratri Episcopo Carcassonensi sa-

lutem & apostolicam benedictionem. Est nobis sollicitè præcavendum ne prætextu nostræ gratiæ contempnatur murus ecclesiasticæ disciplinæ. Cùm igitur, sicut venerabilis frater noster Archiepiscopus Narbonensis exposuit coram nobis, Capellam sitam in palatio nobilis viri A. Vicecomitis Narbonensis exigente justitia ecclesiastico supposuerit interdicto, nôlque dicamur nobili mulieri Philippæ uxori Vicecomitis ejusdem licentiam indulgisse audiendi divina in ipsa Capella & locis aliis interdictis, quia id, sicut idem Archiepiscopus asserit, absque quodam scandalo & contemptu suique injuria fieri non valeret, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus in Capella prædicta & locis aliis interdictis non permittas divina officia celebrari, aliqua sedis apostolicæ indulgentia cuivis sub quacunque forma ve concessa, etiamsi de ipsa mentionem haberi oporteat in præsentibus, non obstante, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni III. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XIX.

Epistola Innocentij IV. ad Blancam Francorum Reginam in gratiam Archiepiscopi Narbonensis.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei carissimæ in Christo filiæ Regiæ Franciæ illustri salutem & apostolicam benedictionem. Cùm,

sicut venerabilis frater noster Narbonensis Archiepiscopus in nostra proposuit presentia constitutus, carissimus in Christo filius noster Franciæ Rex illustris, tanquam verus Ecclesiæ zelator, honoris & fidei conservator, volens contra contemptores clarum salubre remedium adhibere in partibus Narbonensibus, deliberatione duxerit provida statuendum, & per Ballivos suos firmari fecerit juramento, ut bona illorum qui per annum in excommunicatione contumaciter perduraverint, saisiantur per Ballivos eosdem, & teneantur tamdiu quousque præfati excommunicati plenariè satisfecerint super iis pro quibus excommunicatio in eos lata extiterit & fuerint absoluti, serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè quatinus bona nobilis viri A. Vicecomitis Narbonensis, qui in excommunicatione lapsus in eum per eundem Archiepiscopum per annum amplius perstitit animo contumaci, saisiri facias iuxta Statutum huiusmodi & teneri; preces nostras humiliter admittens, quod gestorum honestium tui comproberis diligens executrix, & à nobis non immerito commenderis. Datum Lugduni VIII. Idus Decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Innocentius IV. commemorans legem sancti Ludovici adversum excommunicatos, respicit ad Preceptum datum anno MCCXXXVIII. quod à nobis editum est super Additiones ad tomum primum de concordia sacerdotij & imperij.



XX.

Electio arbitratorum pro componendis diffidiis quæ erant inter Archiepiscopum & Vicecomitem Narbonensem.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN nomine Domini. Anno nativitatis ejusdem Millesimo ducentesimo quinquagesimo, regnante Rege Lodoyco, VIII. Kal. Augusti. Manifestum sit presentibus & futuris quòd cum Dominus Guillelmus Dei gratia sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus Dominum Amalricum Dei gratia Vicecomitem Narbonensem sententia excommunicationis innodasset pro pluribus & diversis offensis quas sibi intulerat, ut dicebat, super quibus capitula diversa reddiderat Raimundo Bedocio & Raimundo Petro & Guillermo Rainaudi & Ymberto de Stabulo, prout continetur in quadam sedula papiri, & dictus Dominus Amalricus absolutionis beneficium à dicto Domino Archiepiscopo peteret impertiri, & dictus Dominus Archiepiscopus diceret quòd prædicta facere non debebat, nisi illa sibi restitueret de quibus fuerat spoliatus, & primò satisfaceret in his in quibus injuriatus fuerat eidem; cum super prædictis inter partes exorta fuisset discordia de omnibus supradictis & singulis capitulis in dicta sedula scriptis, & de iis quæ fuerunt facta à tempore citra quo Domina Regina Franciæ scripsit Domino Senecallo Bellicadri & Nemausi & Domino Episcopo Tholosano, prædictus Dominus Archiepiscopus ex una parte & dictus Dominus Amalricus ex altera

compromiserunt unanimiter in Raimundum Bedo-
 cij & in Raimundum Petri & in Guillelmum Rai-
 naudi & in Imbertum de Stabulo, tanquam arbitros
 seu arbitratōres seu amicabilem compositores à par-
 tibus communiter electos, sub pœna mille libra-
 rum à parte parti stipulata & pro-
 missa: qua etiam pœna commissâ & præstita, dictum
 dictorum arbitrorum seu arbitratōrum in sua remaneat
 firmitate. Et fuit specialiter actum quòd dicti arbitri
 seu arbitratōres omnia supradicta capitula, & ea quæ
 postea fuerunt noviter facta, possint terminare jure,
 amore, vel amicali compositione, vel propria vo-
 luntate, servato juris ordine vel penitus prætermisso.
 Fuit etiam specialiter actum inter partes quòd om-
 nia & singula quæ dicti quatuor arbitri concorditer
 dixerint vel pronuntiaverint, dictæ partes teneantur
 observare. Si autem discordes essent, quòd Domi-
 nus Raimundus Dei gratia Episcopus Tholosanus &
 Guillelmus de Piano Miles Senescallus Carcassonæ
 & Biterris sint loco quinti. Et quidquid ipsi duo
 cum prædictis quatuor vel duobus prædictorum
 dixerint seu statuerint, vel quocunque alio modo
 ordinaverint, partes teneantur servare sub pœna
 prædicta. Promiserunt etiam prædictæ partes venire
 ad diem & ad dies, ad locum vel loca, eis per dictos
 arbitros assignata. Et debent prædictæ partes red-
 dere pignora & dare fidejussores pro dicta pœna ad
 voluntatem & cōmonitionem dictorum arbitrorum.
 Fuit etiam actum quòd prædicti arbitri de prædictis
 questionibus possint simul vel separatim una die vel
 pluribus terminare. Et omnia supradicta promise-
 runt ambæ partes attendere & complere sub pœna
 prædicta. Pro Domino Guillelmo Narbonensi Ar-
 chiepiscopo & in animam ejus juravit Dominus Pe-
 trus Archidiaconus major Narbonensis. Et pro Do-

mino Amalrico & in animam ejus juravit Guillelmus de Bajano Iurisperitus. Iphis præsentibus & mandantibus. Et renuntiaverunt omni juri & feriis omnibus. Fuit etiam specialiter actum inter partes quòd per aliqua prædictorum non fiat aliquod præjudicium alicui partium, quoad proprietatem. Horum omnium sunt testes Bernardus de Villanova Miles, Stephanus Ihoanini Sacrista Ecclesiæ S. Justi, Petrus Christophori judex Curia Biterris Domini Regis, Raimundus Resplandis Archidiaconus Lesathensis, Raimundus de Liciaco Presbyter, Michael Notarius Domini Episcopi Tholosani, Ermengaudus de Podio, Petrus Archidiaconus major Narbonensis prædictus, Guillelmus de Bojano supradictus, & Petrus Grandis publicus Biterris Notarius, qui rogatus à prædictis hæc scripsit, & signum suum apposuit.

Anno à nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, Nonas Augusti, comparuerunt Dominus Guillelmus Dei gratia Narbonensis Archiepiscopus & Dominus Amalricus Dei gratia Vicecomes Narbonæ coram Domino Raimundo Episcopo Dei gratia Tholosano, & coram Domino Guillelmo de Piano Milite Senescallo Carcassonæ & Biterris, & coram Raimundo Bedocio, & Raimundo Petro, & Guillelmo Rainaudo, & Ymberto de Stabulo, arbitris seu arbitratoribus; & post varios tractatus, prædicti arbitri de consensu partium unanimiter ita ordinaverunt sicut inferiùs sequitur. Assignaverunt enim diem partibus ad comparendum & ad procedendum super præmissis in Octabis S. Michaelis, & locum apud Narbonam. Et cum in compromisso à partibus in eos facto non fuerit apposita dies, nunc de novo, de expresso consensu partium, ita adjecerunt & statuerunt, quòd si in assi-

gnata die non interessent aliquo casu contingente, vel aliquis ipsorum, quòd possint diem illam prorogare usque ad quindecim dies & ad plus usque ad festum omnium sanctorum proximè venturum. Alioquin si arbitri non interessent, vel aliquis ipsorum, vel hoc negotium non esset terminatum; ex tunc prædicti arbitri concorditer partes ab hoc compromisso absolvunt, ita quòd ex tunc hoc compromissum in eos à partibus factum nullas habeat vires. Et præceperunt quòd interim nullæ novitates ab aliqua partium fiant. Et si fierent, vel quæ factæ sunt à tempore compromissi citra, revocentur ad cognitionem & arbitrium dictorum Raimundi Bedocij, Raimundi Petri, Guillelmi Raimaudi, & Ymberti de Stabulo. Quibus quatuor dictus Dominus Episcopus & Dominus Senescallus commiserunt vices suas de partium voluntate super revocandis novitatibus factis & faciendis. Hujus rei sunt testes Petrus Archidiaconus major Narbonensis, Bernardus Guitardi, Bernardus de sancto Stephano, Petrus Boërij, Guiraudus de Narbona, Guillelmus de Bojano, Bernardus Transvila, Magister Jacobus Abbas sancti Affrodisi, & Petrus Grandis publicus Biterris Notarius, qui rogatus à prædictis hæc scripsit, & signum suum apposuit.



XXI.

Gravamina Ecclesiæ Narbonensi illata ab
Amalrico Vicecomite Narbonensi.*Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.*

GUILLELMUS Dei gratia sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus dilecto sibi in Christo per eandem Abbati Caunensi salutem in Domino Jesu Christo. Cùm Nobilis vir Amalricus Vicecomes Narbonensis multas & graves injurias nobis & Ecclesiæ Narbonensi, Abbati & Capitulo sancti Pauli, & aliis Abbatis & Ecclesiis nostræ diocesis, irrogaverit frequenter, & super illis monitus diligenter & canonicè non curaverit emendare, & propter hoc ipsum, consiliarios, & fautores ipsius excommunicationis sententia innodaverimus justitia exigente, nec à malis desistens, sed accumulans pejora prioribus, nos & Ecclesias prædictas aggravare de novo non metuens, jurisdictionem nostram & Ecclesiarum prædictarum usurpans, & quantum est in ipso, enervare intendens, post præfatam sententiam laram in ipsum quosdam homines jurisdictionis nostræ & Ecclesiarum prædictarum occasione justitiæ sanguinis & adulterij cepit per se vel suos injultè, & in curia sua detinuit, & quosdam justificavit, quosdam compulit ad dandam sibi pecuniæ quantitatem, videlicet Raimundum Landricum, à quo occasione sanguinis habuit sexaginta solidos, item quendam alium qui captus fuit pro furto in domo Guillelmi Bernardi de Stabulo, quem fecit fustigari, item Martinum textorem, quem fecit præconizari, extorquens postmodum ab eo quinquaginta solidos Melgorienses, & quosdam

alios in eundem modum. Item Corbariam macella-
 torem, à quo occasione adulterij extorsit triginta &
 quinque solidos Melgorienses. Item Poncium Fabri,
 à quo occasione prædicta extorsit quinquaginta
 solidos Melgorienses. Item Bertrandum Monderij,
 à quo occasione dicta extorsit viginti & sex solidos
 Melgorienses, & quosdam alios in eundem modum.
 Item quasdam minores iustitias ad nos & prædictas
 Ecclesias pertinentes invadit, & impedit, ac quantum
 in eo est sibi appropriare intendit, & à quibusdam ho-
 minibus pecuniam extorsit, videlicet à Bernardo Gau-
 celini paradore viginti solidos, à Pradellis de sancto
 Antonino centum solidos, & à quibusdam aliis in
 eundem modum. Item inhibuit ne in feudis & ter-
 ris quæ tenentur à nobis extra muros civitatis & bur-
 gi Narbonensis & Capitulo sancti Justi, & Abbate
 & Capitulo sancti Pauli, ullus ædificet, & ædificato-
 res, qui ibi erant, fecit expelli. Item libertatem no-
 stram, hominum nostrorum & Ecclesiarum prædi-
 ctarum nostrarum invadens, homines quos nos ha-
 bebamus apud Cuthciacum, & homines quos prædi-
 ctæ Ecclesiæ habebant extra Narbonam, talliavit, &
 certam ab eis summam pecuniæ extorsit. Item inhi-
 bet hominibus castrorum nostrorum & prædictarum
 Ecclesiarum ne animalia eorum utantur pascuis &
 aquis castrorum suorum, cum semper iis usi fuerint
 ab antiquo. Item contradicit reddere P. Guinar ho-
 minem nostrum de Caneto, qui citatus propter fur-
 tum aufugit de Caneto apud Genestars. Item banni-
 vit & amparavit, in operatoriis scilicet pontis, res
 quasdam quæ sunt de jurisdictione nostra. Item ju-
 risdictionem nostram invadens appropriavit sibi pœ-
 nam illorum qui committunt in leudam, & extor-
 sit à multis pecuniariam pœnam, quæ debet esse
 communis; videlicet à P. Bonifacij de Montepes-

fulano centum solidos, item à Raimundo Rubeo viginti solidos, & ab aliis in eundem modum. Item cum nundinæ Narbonenses sint communes inter nos & ipsum, facit & apponit bannimenta per se in nundinis antedictis, irrequisitis Bailivis nostris; & aliqua quæ per unam Curiam banniuntur, alteri non licet disbannire. Item cum piscationes quæ fiunt à paxeria pontis inferiùs usque ad paxeriam molendinorum de Filo, sint nostræ, ipse prohibuit vel prohiberi fecit ne ibi nostro nomine piscaretur. Item fecit & facit piscari bruginam in stagno in præjudicium nostrum, cum exeat in plagiam nostrâ, & recepit & recipit inde censum in diminutione nostræ jurisdictionis. Item fecit sibi recognosci apud Narbonam feuda quædam quæ à nobis tenentur immediate, videlicet Capitolium, & quædam usatica quæ fuerunt olim Domine Nigræ, quæ modò liberi R. Iohannis & fratris ejus P. Stephani tenent, & quædam alia in eundem modum, in nostrum præjudicium & gravamen. Item prohibuit & prohibet Notariis qui sunt in Narbona & extra, facientibus instrumenta nuptialia, testamentorum, & alia, ne ipsa redigant in publicam formam sine subscriptione nominis sui, quam de novo apponi præcepit, cum longissimo tempore sit observatum quòd fiebant cum subscriptione nominis Archiepiscopi, & non ipsius. Item cum nos majus dominium habeamus in Narbona, idem Amalricus diminuere intendens jurisdictionem nostram, de novo in suis litteris & suo sigillo ac instrumentis publicis quæ per Notarios publicos fiunt intra Narbonam & extra, vocari se facit Dominum Narbonensem, in nostrum præjudicium & gravamen. Item idem Amalricus in diminutionem jurisdictionis nostræ fecit bis teneri campum de Sarracenis venalibus & aliis quibusdam re-

bus, de quo campo habuit quinque milia solidorum & amplius. Qui campus debet esse communis. Item jurisdictionem ecclesiasticam quantum in ipso est enervans, prohibuit per Ecclesias civitatis & burgi Narbonensis & alias multas Ecclesias nostrę diocesis, eò quòd exigentibus culpis suis excommunicabatur, hominibus & mulieribus diebus solemnibus & aliis ne offerrent, clavibus sanctę Ecclesię faciens quodammodo contraclavem. Et in hoc damnificavit dictas Ecclesias in magna pecunię quantitate. Item in contemptum nostrum & Ecclesię, qui plantare debemus & evellere juxta evangelicam veritatem, Bernardum de Riparia Capella sui palatij & ejus redditibus spoliavit, eò quòd interdictum in ipsa Capella à nobis legitimè positum observabat. Item idem Amalricus in ipsa Capella, spreto nostro interdicto, fecit aliquandiu in salutis suę præjudicium divina officia prophanari. Item idem Amalricus in præjudicium nostrum & totius terrę, contra canonicas sanctiones & sententiam Domini Papę, in ponte de Berra imposuit pedagium novum. Item fecit transiitum modo de novo navis suę super feudum nostrum de Bosqueto, in magnum damnum feudatariorum & præjudicium nostrum. Item tempore quo quondam Comes Tholosanus guerram fecit ultimò Ecclesię & Regi Francię, idem Amalricus ab hominibus Capituli Narbonensis & Abbatis & Capituli sancti Pauli & aliarum Ecclesiarum nostrę diocesis magnam extorsit pecunię quantitatem. Item injuriatur nobis & Capitulo nostro occupando quendam mansum ipsius Capituli qui est in Villa-nova, & inhibendo ne idem Capitulum claudat quendam campum quem habet ad portam regiam. Item idem Amalricus in derogationem libertatis ecclesiasticę extorquet & accipit ab hominibus quos habet Capitulum sancti Ju-

sti apud Cuthiacum, albergam decem Militibus, & à quodam Bajulo & à quibusdam hominibus dicti Capituli extorsit quandam pecuniæ quantitatem. Idem etiam fecit ab hominibus Abbatis & Capituli sancti Pauli & aliarum Ecclesiarum diocesis nostræ. Item in burgatis nostris, & in burgatis Abbatis & Capituli sancti Pauli, nititur capere homines, & res eorum bannire, & forisfacta quæ fuerint in viis publicis & de nocte in jurisdictione ipsorum, nititur sibi usurpare in magnam Ecclesiæ læsionem. Cùm igitur hæc omnia & multò plura fecerit & faciat in nostrum & prædictarum Ecclesiarum præjudicium & gravamen, & ea non possimus ulterius conniventibus oculis præterire, cùm error cui non resistitur approbetur, presentium vobis auctoritate districtè præcipiendo mandamus quatinus ad præfatum nobilem personaliter accedentes, testibus idoneis adhibitis, nostras litteras continentes prædicta gravamina reddatis eidem, requirentes eum & monentes ex parte nostra nihilominus viva voce super singulis specialiter vel saltem in genere quòd prædicta non differat emendare, & quòd similia vel pejora de cetero facere non præsumat. Alioquin, cùm non sit deferendum homini contra Deum, justitia mediante vigorem ecclesiasticum exercere curabimus in eundem. Datum Narbonæ XIII. Kal. Martij anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo.

Eodem anno quo supra, XIII. Kal. Martij, nos frater P. Abbas Caunensis auctoritate dicti mandati apud Corcianum personaliter accedentes, inveniētes ibidem dictum nobilem Amalricum, eundem ex parte dicti Domini Archiepiscopi requisivimus & monuimus diligenter super omnibus prædictis gravaminibus emendandis, tradentes eidem aliam cartam per alphabetum cum ista & continentem omnia

gravamina supradicta. Actum fuit hoc presentibus Centullo Priore de Laurano, Bernardo Capellano Ecclesie de Caunis, Bernardo Presbytero de Corciano. Et ad maiorem predictorum omnium firmitatem, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

XXXIII.

Bulla Innocentij IV. qua confirmat sententiam excommunicationis à Guillelmo Narbonensi Archiepiscopo latam adversus Amalricum Vicecomitem.

Ex eodem archivo Archiepiscopi Narbonensis.

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati sancti Iacobi, Archidiacono Biterrensi, & Priori de Cassiano Biterrensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Narbonensis Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit ut excommunicationis sententiam, quam idem in Amalricum Vicecomitem Narbon. pro eo quod spreto fidelitatis & homagij juramento, quo sibi tenetur, portas palatij sui, eo existente Narbonæ, fecit à quibusdam armatis in ipsius contemptum & injuriam custodiri ad scutiferos & aliam suam familiam capiendos, & quod civibus Narbonensibus inhiuit ne ipsi de feudis quæ tenent ab Ecclesia Narbonensi respondeant, nec ab eo se ipsa tenere, sicut prædecessores sui recognoverunt, aliquatenus recognoscant, & quod quondam Petrum de Befauduno, in quem spirituale & temporale idem Archiepiscopus juris-

dictionem habebat, propria temeritate suspendi, & quosdam alios, in quos jurisdictionem obtinet similem, capi fecit & adhuc detinet carceri mancipatos in ipsius præjudicium & gravamen, & pro nonnullis aliis excessibus ab ipso commissis, cum præmissa omnia sint adeo notoria quòd non possunt aliqua tergiversatione celari, auctoritate propria exigente justitia promulgavit, robur faceremus debitum firmitatis habere. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lugduni vi. Idus Novembris, pontificatus nostri anno sexto.

 XXXIII.

Litteræ Guillelmi Archiepiscopi Narbonensis adversus Amalricum Vicecomitem.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

GUILLELMUS Dei gratia sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus dilectis in Christo B. Mercerij & P. de Caneto Clericis Ecclesiæ sancti Justi Narbonensis salutem in Domino. Olim circa nobilem virum Amalricum Vicecomitem Narbonensem quæ corrigentis & medentis sunt prosequi cupientes, speravimus quòd per excommunicationum sententias, quas in ipsum exigentibus culpis

suis promulgavimus, ipsius infirmitatis tenebrositas
 curaretur, quando ab hujusmodi sententiis fuit per
 nos communioni fidelium restitutus. Sed ecce, præ-
 teritarum culparum non immemor, culpas culpis
 accumulans, multa contra nos & in gravamen no-
 strum & Ecclesiæ Narbonensi, post absolutionem
 hujusmodi committere noviter attentavit. Fecit si-
 quidem in nundinis Narbonensibus removeri vexil-
 lum nostrum, quod ibi posueramus ad signandum
 quod jurisdictio nundinarum & leuda communis est
 nobis & sibi, cum ipse ibidem vexillum aliud posuisset.
 Item compellit vel facit compelli homines no-
 stræ jurisdictionis litigare in curia sua, occasione cu-
 jusdam renuntiationis quam Notarij sui noviter po-
 nunt in instrumentis, in quibus contrahentes renun-
 tiant foro suo, cum talis renuntiatio in nostrum præ-
 judicium fieri non valeat ullo jure. Item compulit &
 compelli fecit Clericos tonsoratos expressè renun-
 tiare beneficio clericali, illos videlicet quibus com-
 misit officium Notariæ. Item inhibuit & inhibet,
 seu inhiberi fecit & facit, quod Clerici in suo po-
 testativo non emant alodia, empta occupari faciens
 donec ipsi Clerici se redemerint aliqua pecuniæ quan-
 titate, quod ab olim cuilibet licuit & licet secun-
 dum usum & consuetudinem hujus terræ, etiam Ju-
 deis. Item inhibuit & inhibet, seu inhiberi fecit &
 facit Notario nostro, quem ad conficienda instru-
 menta testamentorum & nuptiarum & aliorum con-
 tractuum nostræ jurisdictionis creavimus, ne in ipsis
 instrumentis publicum Notarium se subscribat,
 quod per tales Notarios, qui pro tempore fuerunt,
 hæcenus observatum extitit & servatum. Item fe-
 cit domum construere noviter, & suum signum ibi de-
 pingi, ubi leuda communis nobis & sibi hæcenus re-
 cipi consuevit, quod non est dubium in nostrum

præjudicium redundare. Item abstulit vel auferri fecit Priori Ecclesiæ beatæ Mariæ de burgo Narbonensi, ad querimoniam quam sibi exponebant de ipso Priore quidam Judæi, quandam quantitatem vindemiæ, licet idem Prior offerret se paratum in nostra curia stare juri. Item extraxit vel extrahi fecit de quadam domo nostræ jurisdictionis quinque equos Boteri mercatoris de sancto Antonino, qui cum ipsis Narbonæ in nostra jurisdictione fuerat hospitatus. Item occupavit & detinet occupatam in nostrum præjudicium bastidam quandam Johannis Bistani, quæ dicitur de Gasqueto, cum honoribus suis, & quædam alia bona ipsius Johannis Bistani, quæ sunt de feudo & jurisdictione nostra & Ecclesiæ Narbonensis, & illa non vult restituere gadiatoribus ipsius Johannis Bistani, propter quod etiam testamenti ipsius executio impeditur. Item bandivit seu bandiri fecit quasdam barcas oneratas blado existentes in Atace in jurisdictione nostra & Ecclesiæ Narbonensis. Item prohibet vel prohiberi facit ne bestiarium castri nostri de Sejano intret terminalia castri de Lacu, sicut hactenus liberè consuevit. Propter quod etiam vulnerari fecit quosdam nostros homines de Sejano. Item non complet nec complere vult quod Dominus Episcopus Biterrensis & Guido Fulcodius sibi nuper per sententiam præceperunt super Capitolio promulgatam; nec restituit nec vult restituere pecuniæ quantitates in quibus per dictos Episcopum & Guidonem Fulcodium fuit nobis & Capitulo Narbonensi sententialiter condemnatus. Item inhihet vel inhiheri facit nostris Notariis ad conficienda instrumenta testamentorum & nuptiarum per Narbonesium constitutis ne se in eis subscribant sicut retroactis temporibus secundum usum antiquum & consuetudinem subscripserunt. Quo-

niam

niam igitur tot & tanta gravamina, in nostrum & Ecclesie nostrae praedictum attentata, salva conscientia non possumus, sicut nec debemus, conniventibus oculis pertransire, vobis in virtute obedientiae districtè praecipiendo mandamus quatinus ad curiam seu palatium memorati Vicecomitis personaliter accedentes, eundem, si praesens est, & ejus officiales, qui ad praedicta gravamina inferenda consilium vel auxilium praestiterunt, ex parte nostra diligentius moneatis & efficaciter requiratis ut praedicta omnia taliter revocent & emendent quod contra ipsos aliter procedere non cogamur. Alioquin, si praefatus nobilis non sit praesens, praedictos officiales tam nomine suo quam nomine ejusdem Vicecomitis ad revocanda & emendanda praedicta omnia nihilominus moneatis. Datum Narbonae 11. Nonas Decembris, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo.

Nos autem B. Mercerij & P. de Caneto supradicti, praecipitis Domini Archiepiscopi obtemperare volentes, ad curiam praefati Vicecomitis personaliter accessimus; ibique Guitardum Ermengaudi Judicem & B. Blanchardi Subvicarium praedictae curiae inventientes, officiales ejusdem, qui ad praedicta gravamina inferenda consilium vel auxilium praestiterunt, tam nomine suo quam nomine ipsius Vicecomitis, cum non esset praesens, monuimus ad revocanda & emendanda omnia gravamina supradicta. Et cum alias litteras ab istis per alphabetum divisas, praedicta gravamina continentes, eidem Judici tradere-mus, & eas recipere recusaret, in tabulario qui coram eo erat projecimus easdem. Quo facto, respondit ipse Judex quod non oportebat nos hujusmodi monitiones facere; quoniam super prima monitione locutum fuerat Domino Amalrico, qui super ea

bonum dederat responsum. Actum est hoc Narbonæ, in curia prædicta, II. Nonas Decembris, anno Domini M C C L I. in præsentia & testimonio P. Raimundi Bedocij Vicarij curiæ Domini Archiepiscopi, B. de Capitolio Presbyteri, Johannis de Cruce Diaconi, B. de Bagis Jurisperiti, Stephani Bernardi. Et ad majorem horum omnium firmitatem sigilla nostra præsentibus duximus apponenda.

 X X I V.

Acta Concordiæ initæ inter Guillelmum de Broa Archiepiscopum Narbonensem & Amalricum Vicecomitem operâ Raimundi Episcopi Biterrensis & Guidonis Fulcodij anno M C C L I.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

A N N O Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, regnante Rege Lodoyco, x i. Kal. Julij. Notum sit universis quod cum Dominus R. Dei gratia Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius venissent Narbonam, super quæstionibus & rancuris quæ inter venerabilem Patrem Dominum G. Dei gratia Narbonensem Archiepiscopum & virum nobilem Dominum A. Nabonensem Vicecomitem vertebantur, juxta formam sibi traditam & concessam & laudatam à partibus processuri, comparuerunt coram eis dictus Dominus Vicecomes & Bernardus Guitardi procurator, ut dicebat, Domini Archiepiscopi memorati. Dictus verò Dominus Vicecomes procuratorem suum constituit Bernardum

Trafvila Jurisperitum in omnibus & ad omnia explicanda coram dictis Domino Episcopo & Guidone quæ idem Dominus Vicecomes facere deberet vel posset præsentialiter coram eis, quæ per eundem procuratorem fierent, vel cum eo, rata se habiturum promittens. Hujus rei sunt testes Fredolus de sancto Johanne Archidiaconus Agathensis, Guido Caputporci, Guillelmus Bartholomei, Ermengaudus de Podio, Guillelmus Duranti Canonicus Magalonenfis, Guiraudus Catalani, Guillelmus de Boiano, & ego Stephanus de sancta Maria publicus Biterris Notarius, qui mandatus hæc scripsi. Et in eadem die prædictus Dominus Narbonensis Archiepiscopus procuratorem suum constituit Magistrum Bernardum Guitardi Canonicum sancti Affrodisij Biterrensis in omnibus & ad omnia explicanda coram dictis Domino Episcopo & Guidone quæ idem Dominus Archiepiscopus facere deberet vel posset præsentialiter coram eis, quæ per eundem procuratorem fierent, vel cum eo, rata se habiturum promittens. Et interfuerunt testes Guillelmus Petri de Narbona, Raimundus Petri, Petrus Raimundi Bedocij, Bernardus Amorosij, & ego Stephanus de sancta Maria publicus Biterris Notarius, qui mandatus hæc scripsi.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, Rege Lodoyco regnante, VI I. Kal. Julij. Notum sit universis quod cum Pater venerabilis Dominus G. Dei gratia Narbonensis Archiepiscopus in virum nobilem Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonensem ex causis variis excommunicationis tulisset sententiam seu sententias, quas idem nobilis se appellatione legitima prævenisse dicebat; tandem in præsentia virorum nobilium Dominorum Guidonis & Hervei de Caprora

fratrum & Militum, ac Domini Philippi Thesaurarii Ecclesie beati Hilarii Pictaviensis, in Dominum R. Dei gratia Tholosanum Episcopum amicabiliter convenerunt. Sanè dicto negotio per eundem Dominum Tholosanum Episcopum minimè terminato, placuit Domino Archiepiscopo & Domino Vicecomiti supradictis in locum ejusdem Domini Tholosani Episcopi Dominum R. Dei gratia Biterrensem Episcopum subrogari, data eidem Domino Biterrensi potestate in forma subscripta negotium terminandi. Cujus siquidem formæ tenor hic est, continens conventionem utramque. Cùm olim super quæstionibus & rancuris quæ vertebantur inter Venerabilem Patrem G. Archiepiscopum Narbonensem ex una parte & nobilem virum Amalricum Dei gratia Vicecomitem Narbonensem ex alia, dictus Dominus Amalricus ex variis causis ab ipso Domino Archiepiscopo vinculo excommunicationis fuisset innodatus, quædam ordinatio super præmissis fuerit facta inter prædictos mediantibus viris nobilibus Dominis Guidone & Her. de Caproria Militibus fratribus & Domino Philippo Ecclesie beati Hilarii Pictaviensis Thesaurario, prout in quodam transcripto sigillo venerabilis Patris Archiepiscopi memorati munito plenius continetur, cujus tenor talis est. Cùm Pater venerabilis Dominus G. Dei gratia Narbonensis Archiepiscopus virum nobilem Dominum A. Vicecomitem Narbonensem excommunicationis sententia ex causis variis innodasset, quam tamen idem nobilis appellatione legitima se prævenisse dicebat, nec de absolutionis beneficio obtinendo posset dictus nobilis cum eodem Domino Archiepiscopo convenire, tandem mediantibus viris nobilibus Dominis Guidone & Her. de Caproria Militibus fratribus & Domino Philippo Eccle-

ſtae beati Hilarij Pictaviensis Theſaurario fuit ita
 finaliter ordinatum, quòd Dominus Tholoſanus
 Episcopus perſonaliter Narbonam veniat aſſumptis
 Conſiliariis ſeu Aſſeſſoribus uno vel pluribus, pro-
 ut ei placuerit; & inſpectis cauſis ex quibus excom-
 municatus eſt dictus Nobilis, vel commiſſis ab eo-
 dem vel ejus Vicario poſt excommunicationem præ-
 dictam, omnia quæ idem Episcopus ipſa rei eviden-
 tia manifeſta cognoverit, vel quæ ſibi dictus Domi-
 nus Archiepiſcopus de plano & ſine figura judicij
 faciat manifeſta, auditis in eadem forma defenſio-
 nibus Domini A. dictus Dominus Episcopus per
 Dominum A. prædictum & ejus Vicarium faciat
 protinus emendari. Quo facto, & ſuper iis quæ du-
 bia remanebunt recepta à dicto nobili per Domi-
 num Archiepiſcopum de ſtando juri idonea cautione,
 dictus Dominus Archiepiſcopus ſecundum formam
 Eccleſiæ eundem nobilem & ejus Vicarium à ſuis ſen-
 tentiis abſolvere teneatur; & cognitionem eorum
 quæ dubia remanebunt, committat in totum Domi-
 no Episcopo Tholoſano, nec commiſſionem revocet
 ſupradictam. Hanc autem formam dicti Dominus
 Archiepiſcopus & Dominus A. concorditer accepta-
 runt, eam ſervare in omnibus dicto Tholoſano Epif-
 copo promittentes. In cujus rei teſtimonio præſentem
 paginam ſigillorum ſuorum munimine roborarunt, &
 ſigillis dictorum mediatorum roborari fecerunt. Da-
 tum Tholoſæ anno Domini MCCXLIX. II. Non. Decem-
 bris.] Hoc eſt transcriptum ordinationis prædictæ,
 quam nos G. Dei gratia ſanctæ Narbonenſis Ec-
 cleſiæ Archiepiſcopus penes nos habemus ſigillis di-
 ctorum A. Vicecomitis, Guidonis & Her. de Ca-
 proria Militum fratrum, & Philippi Pictaviensis
 Theſaurarij ſigillatam. In cujus rei teſtimonio præ-

sens transcriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum.] TAND E M CUM per dictum Dominum Episcopum Tholosanum super præmissis nihil fuisset finaliter expeditum, anno à nativitate Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, regnante Lodoyco Rege Francorum, IIII. Idus Januarij, apud Biterrim, ad instantiam Domini G. de Piano Senescalli Careassonensis & Biterris pro Domino Rege Francorum & multorum virorum proborum, voluerunt & concesserunt dictus Dominus Archiepiscopus & Dominus A. Vicecomes Narbonensis quod procederetur super præmissis secundum formam prædictam, subrogato tamen Domino Episcopo Biterrensi in locum Domini Episcopi Tholosani per Dominum venerabilem Patrem Archiepiscopum Narbonensem de assensu expresso & voluntate dicti Domini A. Vicecomitis Narbonensis. His etiam additis, quod idem Dei gratia Episcopus Biterrensis personaliter Narbonam veniat, assumptis Consiliariis seu Assessoribus uno vel pluribus, prout ei placuerit, & super offensis, occupationibus, violentiis, & novitatibus tam realibus quam personalibus factis à Domino A. vel suis Archiepiscopo memorato vel suis cum quatuor probis viris civibus Narbonensibus, scilicet Ymberto de Stabulo, Guillermo Rainaudo, Raimundo Petro, Raimundo Bedocio, omni remota fraude & calumnia celeriter inquiret. Et quod illi quatuor concorditer dixerint esse manifestam offensam factam Archiepiscopo memorato, vel in hoc quod concorditer dixerint esse emendandum Domino Archiepiscopo à dicto Domino A. & suis, vel revocandum ab ipso Vicecomite vel suis, totum illud habeatur pro manifesto. Et Dominus Episcopus Biterrensis debet habere pro firmo & ma-

nifesto dictum illorum, quantum ad restitutiones & revocationes novitatum ipsi Archiepiscopo & suis faciendas. Et insuper Dominus Episcopus debet precipere Domino A. juxta dictum illorum quatuor quod ressiat Dominum Archiepiscopum, & revocet novitates in ejusdem Domini Archiepiscopi præjudicium attentatas. Si verò dicti quatuor in suis dictis discordarent, vel dubia dicerent, vel super questionibus inter partes ortis ad interrogationem vel inquisitionem dicti Episcopi Biterrensis per eos liquere non posset, dictus Archiepiscopus potest & debet probare & manifestas facere violentias, spoliaciones, & novitates in sui præjudicium factas, infra sex dies utiles postquam dictus Dominus Episcopus Biterrensis Narbonam venerit causa inquisitionis prædictæ faciendæ; die verò sui introitus intra sex dies prædictas non computata. Ea verò quæ infra prædictos sex dies per ipsum Dominum Archiepiscopum probabuntur, habeantur pro manifestis, quantum ad formam restitutionis faciendæ & novitatum revocandarum. Quibus restitutionibus & revocationibus super præmissis factis, in continenti dictus Dominus Archiepiscopus debet dictum Dominum A. & suos absolvere juxta dictum Domini Episcopi Biterrensis à sententia seu sententiis excommunicationum, à qua vel quibus per ipsum Dominum Archiepiscopum ligatus fuerat vel annexus; præstita tamen priùs à dicto nobili A. Vicecomite satisfactio-
ne idonea secundùm formam Ecclesiæ Archiepiscopo memorato super aliis dubiis & non manifestis offensis seu novitatibus; super quibus dictus Archiepiscopus habeat tempus ad probandum usque ad mensem post festum Paschæ Domini proximè venientis coram Episcopo Biterrensi sæpedicto. Qui Dominus Episcopus Biterrensis ex delegatione à di-

cto Archiepiscopo ei facta debet inquirere, cognoscere, & diffinire, & facere emendari. Et si fortè aliqua remanserint quæ non fuerint infra præfixum terminum per dictum Dominum Episcopum Biterrensem terminata, illa omnia mandata facta Domino Senescallo prædicto ex parte Domini Papæ & ex parte Domina Reginae sint in illo statu in quo sunt modò, quantum ad ea quæ per dictum Dominum Episcopum Biterrensem non fuerint expedita. Fuit etiam actum inter partes & promissum eidem Domino Episcopo Biterrensi à prædictis partibus sub pœna ducentarum marcharum argenti ipsi Domino Episcopo Biterrensi præstanda, quòd neutra partium infra præfixum tempus mensis Paschæ Domini prædicti aliquam novitatem vel aliquas novitates faceret alteri parti. Et si fieri contigerit, & pars faciens novitatem vel novitates illud non emendaverit ad commotionem & cognitionem ipsius Episcopi Biterrensis, debet solvere sine omni quæstione dictam pœnam Episcopo Biterrensi memorato. Pro qua pœna solvenda obligaverunt se dicto Domino Biterrensi Episcopo pro parte dicti Domini Archiepiscopi Narbonensis Petrus Bedocius Vicarius de Capistagno, Raimundus Berengarius de Narbona, Petrus Castan, & quisque tenetur in solidum sine partis excusatione. Et pro parte Domini A. obligaverunt se ad dictam pœnam præstandam Domino Biterr, Episcopo, Bernardus Transvila, Bernardus de sancto Stephano, & tenetur uterque in solidum sine excusatione partis. Acta fuerunt hæc apud Biterrim, in camera episcopali, in præsentia & testimonio suprædicti Domini Guillermi de Piàno Senescalli, Domini Jacobi Abbatis sancti Affrodisij Biterris, Domini Deodati de Bociacis, Johannis de Boiano, Ermengaudi de Podio, Stephani Johanini Sacristæ Narbonensis, Ma-

gistri Guillermi de Caucio, Guillermi de Boiano, & Petri Simonis publici Biterris Notarij, qui rogatus & mandatus à dicto Domino Archiepiscopo & A. Vicecomite predicto & aliis supradictis hæc omnia scripsit.] DEMUM cum nec sit negotium supradictum per dictum Dominum Biterrensem Episcopum, qui diu & multum in eodem juxta formam sibi traditam laboravit, decidi potuerit seu etiam consummari, placuit partibus in presentia Serenissimæ Domine Blancæ Dei gratia Francorum Reginae Parisius constitutis Guidonem Fulcodium adici dicto Domino Episcopo Biterrensi, & ambos procedere ad consummationem negotij memorati juxta formam in presentia ejusdem Domine Reginae conditam, cujus tenor hic est.] NOTUM sit omnibus quod cum nos G. Narbonensis Archiepiscopus in virum nobile Amalricum Vicecomitem Narbonensem diversis ex causis excommunicationum sententias tulissemus, quas idem Vicecomes legitima appellatione se prævenisse dicebat, quod nos minimè fatebamur, tandem post multos de ejus absolutione tractatus in presentia Serenissimæ Domine Blanche Dei gratia Reginae Franciæ cum eo convenimus in hunc modum. Videlicet quod super causis excommunicationum & aliis ab eodem vel suis post sententias prædictas commissis, & super absolutionis beneficio conferendo eidem, sicut hæc omnia in forma tradita Domino Episcopo Biterrensi plenius continentur, procedant ex nunc Dominus Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius secundum formam in qua idem Episcopus solus procedere poterat & processerat ex potestate sibi nuper à nobis concessa, consentiente in eum Vicecomite supradicto. Hæc tamen concedimus, ratis manentibus iis quæ per eundem Episco-

pum, seu coram eo, sine Guidone Fulcodio acta sunt, si dicti Episcopus & Guido ea de jure valere cognoverint. Alioquin per eos secundum formam eandem ex integro procedatur. Sed etsi de jure valuerint, aliquid tamen ipsis Episcopo & Guidoni Fulcodio in eis supplendum videbitur vel etiam emendandum, de hoc plenam habeant potestatem. Dantes eisdem nihilominus potestatem quod diem & dies in prædicta forma contentos possint ex causis rationabilibus prorogare. Nos igitur Amalricus Vicecomes Narbonensis hanc formam laudamus & acceptamus. Nos etiam Archiepiscopus & Vicecomes prædicti ipsam Dominam Reginam rogavimus quod hæc sub suo testificetur sigillo, & præsentem paginam sigillis propriis roboramus. Acta sunt hæc Parisius anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, feria v. post *Esto mihi.*]

Cùm igitur prædictus Dominus Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius venissent Narbonam, parati procedere juxta traditam sibi formam, placuit partibus, scilicet Domino Archiepiscopo & Domino Vicecomiti suprædictis, latiore eis concedere potestatem, prima in sui firmitate manente, ut diu protractum negotium celerius posset expediri. Voverunt siquidem partes prædictæ, quod dicti Dominus Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius, causis inspectis ex quibus dictus Dominus Archiepiscopus in Dominum Vicecomitem memoratum & suos tulit excommunicationum sententias, nec non & novitatibus seu offensis quas in præjudicium dicti Domini Archiepiscopi vel suorum, sive sint laici, sive Clerici, Capituli etiam Narbonensis, & Abbatibus ac Capituli sancti Pauli Narbonensis, vel aliarum Ecclesiarum civitatis & diocesis Narbonensis,

Dominus Vicecomes prædictus dicitur commisisse, possint super iis emendandis vel etiam revocandis simul vel separatim, uno die vel pluribus, utraque parte præsentem, vel tantum altera, die feriato vel non feriato, quicquid voluerint ordinare, statuere, seu mandare; ita tamen quod ex iis quæ ordinaverint, statuerint, seu mandaverint, neutri parti fiat aliquod præjudicium in jure proprietatis seu iudicio petitorio coram quocunque iudice ecclesiastico vel civili. Quæ autem à prædictis Domino Biterrensi Episcopo & Guidone Fulcodio super præmissis de jure vel motu propriæ voluntatis ordinata, statuta fuerint, seu mandata, Dominus Vicecomes prædictus eisdem Domino Episcopo & Guidoni Fulcodio & Domino Archiepiscopo stipulantibus implere & observare promisit. Et vice versa Dominus Archiepiscopus memoratus promisit eisdem Domino Episcopo & Guidoni Fulcodio & ipsi Domino Vicecomiti stipulantibus, quod stabit ordinationi, statutis, & mandatis eorundem Domini Episcopi & Guidonis, & stare faciet subditos suos, clericos, laicos, & Ecclesias, quibus vel contra quos offensas vel novitates præjudiciales idem Dominus Vicecomes & sui fecisse dicuntur vel etiam commisisse, & quod secundum ordinationem eorundem Domini Episcopi & Guidonis procedet ad absolutionem ejusdem Domini Vicecomitis & suorum, & ad relaxationem interdicti, cui civitatem & burgum Narbonense supposuit. Hæc autem omnia utraque pars promisit sub pœna mille marcharum argenti ab ipsis Domino Episcopo & Guidone Fulcodio stipulata, & à partibus eis promissa, si ordinationem, statuta, seu mandata ipsorum in partem vel in solidum non servarent. Hoc acto, quod dictam pœnam possint prædicti Dominus Episcopus & Guido Fulcodius à par-

re inobediente exigere, & sibi retinere, vel, si magis eis placuerit, jus eam exigendi alteri parti dare. Quæ commissa semel vel sæpius & exacta, nihilominus quæ per dictos Dominum Episcopum & Guidonem ordinata, statuta fuerint, seu mandata, perpetuam habeant firmitatem. Promiserunt etiam partes adinvicem, quòd post ordinationem, statuta, seu mandata ipsorum Domini Episcopi & Guidonis, contra ea vel aliquod eorum de jure vel de facto non venient, nec ad boni viri recurrent arbitrium, nec ex causa quacunque restitutionis beneficium implorabunt, & quòd huic instrumento, & omnibus quæ in eo superiùs vel inferiùs continentur, fidem habebunt perpetuò, etiamsi instrumenta vel litteræ non exhibeantur quarum facta est mentio in præmissis. Sciendum etiam quòd pars utraque prædictis Domino Episcopo & Guidoni promisit se quemlibet de suis subditis compulsuram ad requisitionem eorundem Domini Episcopi & Guidonis ad jurandum & deponendum coram eis veritatem quam scient super iis in quibus fuerint per eos requisiti, & instrumenta de iis omnibus conficienda propriis roborare sigillis. Et renuntiaverunt partes omni exceptioni, actioni, & defensionì, auxilio ordinario & extraordinario, juri scripto & non scripto, promulgato & promulgando, quo vel quibus contra prædicta vel aliquid de prædictis se possent defendere seu juvare. Omnia autem & singula supradicta per Dominum Archiepiscopum memoratum promissa impleri ab eo & firmiter observari juravit in ejusdem Domini Archiepiscopi animam, & ejus nomine ac mandato, Raimundus Bedocij Vicarius ejus. Et pro Domino Amalrico Vicecomite supradicto in ejus animam, & suo nomine ac mandato, Petrus Boyerij Vicarius ejus juravit omnia & singula ab

ipſo Domino Vicecomite ſuprà promiſſa impleri & firmiter obſervari. Pro iis autem omnibus complendis, tenendis, & inviolabiliter obſervandis, & nominatim pro pœna prædicta ſolvenda dictis Domino Epifcopo Biterrenſi & Guidoni Fulcodio conſtituerunt ſe fidejuffores, debitores, & ſolutores, quiſque in ſolidum, ſub obligatione omnium bonorum ſuorum, pro dicto Domino Archiepiſcopo, ſupradicto Domino Vicecomiti & eiſdem Domino Epifcopo & Guidoni, Raimundus Berengarij de Riparia, Guiraudus Boneti, Guillermus Bernardi de Stabulo, Guillermus Amorofij, Berengarius Blanquerij, Berengarius Mainardi, Aimericus Blanquerij, Guillermus Bels-om, Petrus Arnaldi de Naiſſa, & Amorofius, renuntiantes expreſſè & ex certa ſcientia epiftołæ Divi Adriani, & novæ Conſtitutioni de duobus reis debendi, & legi quæ dicit reum principalem priùs debere conveniri quàm interceſſorem, & generaliter omni rationi & juri qua vel quo ſe poſſent defendere ſeu juvare. Et ita attendere & complere tactis corporaliter ſanctis Evangeliiſ juraverunt. Ex parte autem Domini Vicecomitis ſupradicti, pro omnibus & ſingulis ab eo promiſſis complendis, tenendis, & inviolabiliter obſervandis, & nominatim pro pœna prædicta ſolvenda dictis Domino Epifcopo Biterrenſi & Guidoni Fulcodio, conſtituerunt ſe fidejuffores, debitores, & ſolutores, quiſque in ſolidum, ſub obligatione omnium bonorum ſuorum, pro ipſo Domino Vicecomite, prædicto Domino Archiepiſcopo & eiſdem Domino Epifcopo & Guidoni, Sicardus Fabri, Guillermus Rainaudi, Guillermus Raimundi de Montepellano, Imbertus de Stabulo, Raimundus de Lacu, Guiraudus de Narbona, Petrus Raimundi de Jungeriis, Hugo de Planis, Bernardus de Bagiis, &

Guillermus Alarosij, renunciantes expressè & ex certa scientia epistolæ Divi Adriani, & novæ Constitutioni de duobus reis debendi, & legi quæ dicit reum principalem prius debere conveniri quàm intercessorem, & generaliter omni rationi & juri quæ vel quo se possent defendere seu juvare. Et ita attendere & complere tactis corporaliter sanctis Evangeliiis juraverunt. Ad majorem verò prædictorum omnium firmitatem Capitulum Ecclesiæ Narbonensis omnia supradicta per Dominum Archiepiscopum memoratum promissa laudavit & confirmavit expressè & communi ipsius Capituli promisit roborare sigillo. Insuper etiam Dominus B. Abbas & Capitulum Ecclesiæ sancti Pauli Narbonensis omnia per Dominum Archiepiscopum memoratum promissa super querimoniis ipsum Abbatem & suum Capitulum contingentibus rata perpetuò promiserunt habere, & sigillis propriis roborare. Acta sunt hæc apud Narbonam, in claustrò S. Justi, præsentibus testibus infrascriptis, videlicet Fredolo de sancto Johanne Archidiacono Agathensi, Petro Rostagni Priore Ecclesiæ B. Mariæ de Burgo Narbonensi, Guillermo de Durbanno, Magistro Bernardo Guitardi Canonico Ecclesiæ sancti Affrodisij Biterris, Petro Nazarij Rectore Ecclesiæ de Treuciano, Guillermo Baronis Rectore Ecclesiæ sancti Sebastiani, Petro de Pradinis Rectore de Toissiano, Petro Poncij Rectore Ecclesiæ de Lunacio, Guiraudò Catalani Rectore Ecclesiæ sancti Martini de Podio, Guidone de Capite porci Jurisperito, Raimundo Capellerij Jurisperito, Guillermo de Beregio Jurisperito, Ermengaudò de Podio Jurisperito, Aimerico Pallerij Jurisperito, Guillermo de Boiano Jurisperito, Raimundo Gaufredi Canonico Agathensi, Guillermo Duranti Canonico Magalonensi, Guil-

Iermo Fabri, Bertrando Rozergacij de Lautrico, Guillermo de Salis, Petro Grandi, Petro de Fraxino, Pontio de Fraxino, Raimundo de Bagis, Berengario Boneti, Raimundo Boneti, Berengario de Olargio, Laurentio de Saragocia, & me Stephano de sancta Maria publico Biterris Notario, qui mandato dictorum Domini Episcopi Biterrensis & Guidonis Fulcodij, prædictorum etiam Domini Archiepiscopi & Domini Amalrici Vicecomitis Narbonensis ac fidejussorum ab utraque parte datorum, hæc scripsi. Nos R. Dei gratia Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius ad plenius testimonium omnium prædictorum præsentem publicam scripturam sigillorum nostrorum appensione munimus.

Noverint universi quòd nos G. Dei gratia Narbonensis Archiepiscopus & A. eadem Vicecomes Narbonensis, scientes quòd nos concorditer supplicimus mandatis & omnimodæ voluntati venerabilis Patris R. Dei gratia Biterrensis Episcopi & Guidonis Fulcodij Clerici, super quibusdam rancuris, juxta formam in instrumento contentam confecto super hoc per manum Stephani de sancta Maria publici Biterris Notarij, damus eis plenam & liberam potestatem omnem ambiguitatem seu obscuritatem interpretandi & declarandi, si qua post recitationem mandatorum ipsorum in eis apparuerit vel emerferit, & eorundem interpretationi & declarationi verbo eorum vel communibus litteris intimanda stare promittimus, & eam perpetuò & inviolabiliter observare. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine roboramus. Datum Narbonæ 11. Non. Julij, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo

gesimo primo, regnante Rege Lodoyco, Nonis Iulij. Notum sit universis quòd nos R. Dei gratia Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius, inspectis causis ex quibus Pater venerabilis Dominus G. Dei gratia Narbonensis Archiepiscopus & ejus Officialis excommunicationis sententias tulerant in virum nobilem Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonensem & quosdam alios officiales & fautores ipsius, auditis etiam novitatibus quas idem nobilis & sui in ipsius Domini Archiepiscopi præjudicium & suorum, Capituli etiam Narbonensis, Abbatis & Ecclesiæ sancti Pauli, & aliarum Ecclesiarum civitatis & diocesis Narbonensis, fecisse pluries ab eodem Domino Archiepiscopo dicebatur, intellectis etiam defensionibus Vicecomitis supradicti, & super utriusque partis assertionibus probationibus de plano receptis, ad decisionem negotij & sedationem discordiæ quæ multo tempore jam duraverat invocato sanctæ Trinitatis auxilio quantum possumus properamus juxta datam nobis plenitudinem potestatis de partis utriusque consensu. Et si qua in tanta multitudine quæstionum vel ignoranter vel ex certa scientia relinquimus indecisa, potestatem pronuntiandi de ipsis quidquid nobis placuerit, vel si forsitan maluerimus, ad examen ordinarium remittendi, plenam & integram reservamus. In primis igitur volumus & mandamus quòd Dominus A. Vicecomes Narbonensis Dominum G. Narbonensem Archiepiscopum in possessionem reducat præconizationum communium, hoc est, ad utriusque utilitatem seu auctoritatem spectantium, ita videlicet quòd fiant sub nomine utriusque; sic tamen quòd nomen Domini Archiepiscopi nomini Vicecomitis præmittatur, nec de facto prohibeat dictus Dominus Vicecomes præconizationes communes sic fieri. Salva quæstione

quæstione juris eidem Vicecomiti, si coram iudice
 competenti super hoc voluerit conqueri seu etiam
 experiri. Item volumus & mandamus quòd idem
 nobilis reducat eundem Dominum Archiepiscopum
 in possessionem pacificam & quietam suæ jurif-
 dictionis, ita videlicet quòd eum vel ejus curiam
 per se vel per alium, clam vel palam, de facto non
 impediat nec perturbet quò minus idem Archiepis-
 copus in locis & hominibus jurisdictionis archiepif-
 copalis in civitate & burgo & burgatis Narbonen-
 sibus, intus & extra, eandem jurisdictionem exer-
 ceat liberè in sanguine & adulterio in sua jurisdic-
 tione commissis seu etiam committendis, & aliis tam
 civilibus quàm criminalibus quæstionibus tam ci-
 vium quàm extraneorum & omnium generaliter
 personarum quæ ratione religionis seu ordinis, do-
 micilij, seu contractus, vel maleficij secundum jura
 & consuetudines civitatis istius, curiæ ejusdem Do-
 mini Archiepiscopi inveniantur obnoxij. Salva
 tamen Domino Vicecomiti supradicto executione
 penarum corporalium quas curia ejusdem Domi-
 ni Archiepiscopi laico vel laicis suæ jurisdictioni
 subiectis pronuntiaverit vel secundum hujus loci
 consuetudinem pronuntiari fecerit infligendas. Salvo
 etiam eidem Domino Vicecomiti pleno & integro
 jure suo proprietatis, si quod habet in aliquo præ-
 dictorum. Item volumus & mandamus quòd idem
 Dominus Vicecomes reducat dictum Dominum Ar-
 chiepiscopum in possessionem leudarum pro parte
 dictum Dominum Archiepiscopum contingente, nec
 eundem Dominum Archiepiscopum impediat vel
 perturbet quò minus percipiat partem suam & in
 jurisdictione sua puniat committentes in leuda. Et
 hoc dicimus salvo jure dicti Domini Vicecomitis in
 petitorio, si illud ipse vel sui duxerint prosequendum.

Item volumus & emandamus quòd idem Dominus Vicecomes, salvo jure suo in proprietario seu petitorio, si quod habet, disbandiat & desamparet quicquid bandiverat in operatoriis pontis, in quibus idem Dominus Archiepiscopus habet usatica; nec piscari prohibeat piscantes vel piscaturos nomine ejusdem Domini Archiepiscopi à paxeria pontis inferiùs usque ad paxeriam molendinorum de Filo; salvo sibi in petitorio, ut supra dictum est, jure suo. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes reducat dictum Dominum Archiepiscopum, & pacificè esse permittat, in possessionem bandimentorum quæ sient in nundinis Narbonensibus, ita videlicet quòd eundem Dominum Archiepiscopum vel ejus curiam non impediatur quò minus eis utatur sicut & ipse utitur Vicecomes; & quod per unam Curiam banditum fuerit, altera non disbandiat. Et hæc dicimus salvo jure ejusdem Domini Vicecomitis in petitorio, si quod habet. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes publicè revocet prohibitionem quam fecit civibus Narbonensibus feudatariis dicti Domini Archiepiscopi ne ei recognoscerent feuda sua. Et si quid hac occasione abstulit vel amparavit Izarno de Liurano de feudo quòd idem Izarnus recognoverat eidem Domino Archiepiscopo, id totum dictus Dominus Vicecomes restituat & relaxet. Salvo tamen in petitorio jure suo. Item volumus & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes homines Domini Archiepiscopi de Capitefagni in actionibus personalibus coram se vel curia sua respondere non cogat. Et si hac occasione à triennio citra res eorum bandivit vel cepit, eas relaxet vel reddat. Item volumus & mandamus quòd si idem Dominus Vicecomes, occasione crucis assumptæ, homines quos idem De-

minus Archiepiscopus habet apud Cursiacum tallia-
 vit, restituat eis quod ab eisdem extorsit. Salvo ei-
 dem Domino Vicecomiti jure suo in petitorio, si
 quod habet. Item volumus & mandamus quod
 idem Dominus Vicecomes non impediatur vel pertur-
 bet eundem Dominum Archiepiscopum in possessione
 & perceptione tascharum territorij de Figairolis,
 de Comba Damada & de Stagno pude, in quibus
 taschis Petrus Raimundi de Riparia partem accipit;
 sed permittat idem Dominus Vicecomes dictum
 Dominum Archiepiscopum eas percipere liberè &
 quietè, & bandimentum seu prohibitionem, si quam
 fecit de eisdem Domino Archiepiscopo non reddens,
 idem Dominus Vicecomes revocet & relaxet; &
 quod inde in præterito anno habuit reddat, scilicet
 quinque sextarios frumenti. Salvo jure dicti Domini
 Vicecomitis in petitorio, si quod habet. Item volumus
 & mandamus quod idem Dominus Vicecomes pro-
 hibitionem revocet quam fecit Consulibus ne redde-
 rent dicto Domino Archiepiscopo partem illam quæ
 eundem Dominum Archiepiscopum de banno bladi
 contingit. Salvo sibi jure in petitorio, si quod habet.
 Item volumus & mandamus quod idem Dominus
 Vicecomes revocet & relaxet prohibitiones quas fe-
 cit de non ædificando in campo Margallonis, & in
 orto Bernardi Laurentij, qui campus & hortus sunt
 in dominatione Domini Archiepiscopi memorati,
 nec impediatur idem Dominus Vicecomes verbo vel
 facto ibidem ædificare volentes. Salvo tamen dicto
 Domino Vicecomiti jure suo in petitorio, si quod
 habet. Item volumus & mandamus quod idem Do-
 minus Vicecomes passagium quod fecit ad navem
 per bosquetum qui tenetur à Domino Archiepis-
 copo cessare faciat, cum sit novitas vergens in præ-
 judicium Domini Archiepiscopi memorati. Item

volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes uti permittat pacificè & quietè homines dicti Domini Archiepiscopi aquis & pascuis quibus uti consueverunt ante tempus dissensionis inter Dominos Archiepiscopum & Vicecomitem suscitata. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes res quas ipse vel ejus curia extraxit vel extrahi fecit de domo vel de domibus in jurisdictione archiepiscopali fitis sine licentia Domini Archiepiscopi vel ejus curiæ antequàm nos prædictus Biterrensis Episcopus præsens suscepissemus negotium, restituat illis quibus res fuerunt ablatae, si extant, alioquin aestimationem earum. Item cum idem Dominus Vicecomes Capitolij civitatis Narbonensis à Bertrando de Capitolio recognitionem receperit, & illud emerit ab eodem, quæ dictus Dominus Archiepiscopus facta dicit in præjudicium juris sui; volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes recognitionem prædictam irritet & absolvat, & à dicta emptione recedens, rem retro tradat venditori prædicto, & curet & incontinenti faciat quòd dictus venditor à venditione recedens, venditam non recipiat, & à pretio Vicecomitem eundem & quoscunque fidejussores seu debitores pro pretio datos absolvat, & dictus emptor & venditor ab omni jure & obligatione in dictis recognitione & venditione quæsitis alterutrum vel contractis mutuo se absolvant, & fiant de his publica instrumenta, quorum unum authenticum habere possit, si voluerit, Dominus Archiepiscopus memoratus, & instrumenta recognitionis & emptionis & omnia hac occasione inter eos confecta nobis delenda restituant, vel si maluërimus cancellanda, & cui nobis placuerit cancellata reddenda. Quòd si qua tenoris ejusdem vel sententiæ producerentur in posterum

In jure vel extra jus, cassa & irrita penitus habeantur, Et sin omnia in eodem statu, quantum ad Capitolium supradictum, quoad possessionem & proprietatem partis utriusque vel alterutrius, in quo erant ante factas recognitionem & venditionem predictas; ita etiam quod dicto Bertrando de Capitolio, ex eo quod dictam recognitionem vel venditionem fecit, nullum fiat penitus præjudicium, nec ipsum Capitolium ab eo possit Dominus Archiepiscopus tanquam commissum exigere, vel eam occasione predicta, scilicet quia illud inconsulto Archiepiscopo recognovit & vendidit, in jure vel extra jus molestare. Et de hoc faciat eidem Bertrando Dominus Archiepiscopus publicum instrumentum. Item cum nobis constet Arnaldum Guilaberti Notariam testamentorum & nuptiarum & quorundam contractuum aliorum pro Domino Archiepiscopo aliquo tempore tenuisse, dum viveret, & etiam quando captus fuit per Dominum Amalricum vel nomine & auctoritate ejusdem, & eundem Dominum A. & ejus Vicarium tam dicto Arnaldo Guilaberto quam aliis prohibuisse Notariis ne testamentorum vel nuptiarum vel alia quælibet cum subscriptione nominis Archiepiscopi instrumenta conscriberent, & eundem Arnaldum Clericum de foro dicti Archiepiscopi tam ratione clericatus quam domicilij residentem ab eodem Domino Amalrico Vicecomes vel ejus curia per sententiam officio tabellionatus fuisse privatum, ad quod eum morte præventum non possumus restituere, nec in ipso Dominum Archiepiscopum memoratum, volumus & mandamus quod Dominus Vicecomes prædictus per se vel per alium non impediatur nec prohibeat nec perturbet quò minùs Dominus Archiepiscopus alium in locum dicti Arnaldi Guilaberti pro sua voluntate

substituatur, qui ejusdem Domini Archiepiscopi te-
 neat Notariam ad testamenta scribenda & confi-
 cienda tam nuptialia instrumenta quam alia quæ seu
 qualia idem Arnaldus Guilaberti sub nomine Nar-
 bonensis Archiepiscopi publicè conscribent, hoc
 est, in quibus seu qualibus se in subscriptione No-
 tarium Narbonensis Archiepiscopi publicè appella-
 bat. Nec prohibeat Vicecomes illum quem Archi-
 episcopus substituet, ut præmissimus, dicta testa-
 menta & instrumenta conficere, & in eis se Archi-
 episcopi Notarium appellare. Sed nec prohibeat
 Vicecomes testamenta personarum jurisdictionis
 archiepiscopalis in curia Archiepiscopi publicari,
 sive nuncupativa fuerint, sive clausa. Verùm pu-
 blicationem aliorum quæ in curia Vicecomitis pu-
 blicari contigerit, per quemcumque scribi Nota-
 rium minimè prohibemus, cum id de jure liceat,
 nec consuetudo contraria sit probata. Hæc autem
 omnia dicimus & mandamus sine præjudicio partis
 utriusque in judiciis petitoriis: quibus in competen-
 ti judicio possint, cum eis placuerit, præmissis non
 obstantibus, invicem experiri. Item volumus &
 mandamus quòd dictus Vicecomes reddat Domino
 Archiepiscopo memorato ea quæ ipse habuit vel
 ejus curia à triennio citra à personis ad jurisdic-
 tionem archiepiscopalem spectantibus & forum suum
 allegantibus seu protestantibus, occasione sanguinis
 vel adulterij vel aliorum, quibus eundem Archiepi-
 scopum spoliaverat, & ad quæ eum restituimus seu
 restitui jussimus, prout superiùs continetur. De
 quantitate autem prædictorum credatur Vicariis
 utriusque, videlicet Petro Boverio & Raimundo
 Bedocio, si poterunt convenire. Alioquin, stetur
 dicti Petri Boverij sacramento. Item de possessione
 quam dicit Dominus Archiepiscopus turbari Ber-

trando de Corciano per dictum Dominum Vicecomitem in termino de Petriaco, cum nobis non constet quòd sit in dicto terminio, vel de feudo Archiepiscopi, terra cujus possessio turbari dicitur, volumus & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes in competenti iudicio sive foro de jure respondeat dicto Bertrando. Item dicimus de blado quod fecit dictus Vicecomes secari in campo quondam Johannis Catalani, de quo nobis non constat quòd sit in terminio Petriaci vel de jurisdictione Domini Archiepiscopi memorati. De pedagio etiam Berræ, & de usaticis Dominae Nigræ eidem Vicecomiti recognitis, prout dicitur, & de Clericis ad dandas tallias de suis facultatibus non urgendis, & de piscatione bruginae, & de campo quem fecit teneri de Sarracenis Dominus Amalricus, quia ad nos juxta traditam nobis formam non pertinet, nihil penitus diffinimus, ea omnia competenti seu ordinario iudicio reservantes. De eo verò quòd idem Vicecomes in sigillo suo & litteris Dominum Narbonæ se nominat, & Notarios Narbonæ à Vicecomitali curia institutos præcipit Notarios ejus scilicet Vicecomitis in suis subscriptionibus se vocare, quia in iis nulli videmus fieri præjudicium, nihil duximus inhibendum. Salvo tamen jure Domini Archiepiscopi in petitorio, si jus habet aliquod prohibendi. Item volumus & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes reducat in possessionem pacificam & quietam Capellæ Palatij sui Bernardum de Riparia Rectorem ejusdem Capellæ, & fructus omnes quos percepit vel fecit percipi Vicecomes prædictus, eidem Rectori restituat. De quorum quantitate credatur Petro Boverio Vicario Vicecomitis supradicti. Item volumus quòd Ecclesiam sancti Petri de Claro, domum etiam, Capellam, & res alias ad

dictam Ecclesiam pertinentes, idem Vicecomes disbandiat & Domino Archiepiscopo disponendas relinquat. Si tamen jus patronatus in ea se habere contendit, audiat eum Dominus Archiepiscopus, vel audiiri faciat, tam super possessorio, quàm super petitorio, sine iudiciorum strepitu, & de plano. Item volumus & mandamus quòd asinos portantes vindemiam ablatos hominibus de Petriaco per Bajulum Villæficæ restitui faciat Vicecomes eisdem; & si non inveniuntur, eis reddi faciat æstimationem eorum. Item volumus & mandamus reddi ab eodem vicecomite Capellano de Bizano æstimationem faumata lignorum quam per vim ante Natale habuit ab eodem, si tamen eam recuperare voluerit Capellanus, cum nobis constiterit quòd à faumatis lignorum dandis curiæ Vicecomitis in Natali bestiarum Clericorum & Militum consueverint esse immunes. De talliis autem quas idem Vicecomes ab hominibus Ecclesiarum Narbonensis diocesis injustè dicitur exegisse, quia nobis de jure aliorum praterquam Domini Archiepiscopi constare non potuit, volumus quòd jus faciat conquerentibus Vicecomes prædictus in foro seu iudicio competenti, si de arbitris eligendis invicem non potuerint convenire, & de stando juri in competenti iudicio satisfacet Domino Archiepiscopo memorato. Item volumus & mandamus quòd dictus Vicecomes, salvo jure proprietatis, si quod habet, restituat Capitulo Narbonensi mansum quem tenebat Capitulum Narbonense in villa nova Narbonæ, quem idem nobilis occupavit, & quòd permittat idem Capitulum claudere quendam campum quem habet ad portam regiam Narbonæ, & prohibitionem de hoc factam revocet & relaxet. Salvo tamen jure suo, ut dictum est, si quod habet. De alberga verò decem Militum,

quam accipit idem Nobilis in hominibus dicti Capituli apud Cutsiacum, & de tallia quam eis habuit occasione Crucis assumptæ, volumus & mandamus quòd si Capitulum in hoc sibi fieri credit injuriam, det dictus nobilis eidem Capitulo super hoc judicem non suspectum, qui de plano causam audiat, & debito fine decidat. De iis verò quæ idem Vicecomes habuit à quodam Bajulo tunc Capituli apud Motianum & à quodam homine apud Genestars, quæ siquidem injustè eum habuisse cognoscimus, faciat idem Vicecomes Capituli voluntatem. Item volumus & mandamus quòd idem Vicecomes non impediatur nec perturbetur Abbatem sancti Pauli vel ejus curiam quò minus in burgis & burgatis quæ habet dictus Abbas infra Narbonam & extra jurisdictionem exerceat pacificè & quietè in pecuniariis & civilibus quæstionibus, furtis, & injuriis, & aliis maleficiis quibus pœna mutilationis membrorum vel ultimi supplicij vel exilij non debetur, hoc est, de quibus seu pro quibus pecuniariam pœnam exigere curiæ consueverunt. De iis enim criminibus gravioribus, quæ de jure & consuetudine exilium vel membri mutilationem seu ultimum requirunt supplicium, & adulterio, quia nobis ad plenum ex actis liquere non potuit utra pars, videlicet Abbatis vel Vicecomitis, justius aut veriùs possideret, nihil possumus diffinire, jus suum utrique parti super possessorio & petitorio reservantes in foro seu judicio competentis, vel coram nobis, si infra festum sancti Michaëlis diem super hoc duxerimus assignandum. Idem per omnia dicimus de Capitulo sancti Pauli in burgis & burgatis quæ habet idem Capitulum infra Narbonam & extra. Volumus autem & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes scannum in quo judex Capituli pro tribunali sedebat, in locum unde per

suos sublatum extitit reportari faciat & reponi, & eos non impediatur nec perturbet quò minùs de rebus & quæstionibus supradictis curiam suam pacificè teneant & quietè. Salvo similiter jure tam dicti Vicecomitis quàm Capituli sancti Pauli in forma prædicta. Quæ autem dictus Vicecomes vel ejus curia habuit à personis ad jurisdictionem Abbatis vel Capituli pertinentibus, forum suum allegantibus seu etiam protestantibus, occasione eorum quæ eisdem Abbati & Capitulo pacificè dimittenda quoad possessionem decrevimus, eis à Vicecomite prædicto restitui volumus & mandamus. De quorum quantitate si aliàs constare non poterit, stetur Petri Boverij juramento. Item volumus & mandamus quòd ædificantes vel ædificare volentes extra muros civitatis & burgi Narbonensis in feudis & terris Abbatis vel Capituli sancti Pauli nec impediatur nec prohibeat Vicecomes prædictus; & si quam de hoc fecit prohibitionem, eam revocet & relaxet. Quia verò Pater venerabilis Dominus Archiepiscopus memoratus à Vicecomite supradicto in multis reputat se offensum, quem asserit, præter spoliaciones & novitates prædictas, familiæ suæ posuisse insidias & homines Archiepiscopi jurisdictioni subditos & per suam curiam non damnatos corporaliter punivisse, duos etiam sacerdotes affectos contumeliis usque ad ostium carceris adduxisse, Arnaldum etiam Guilaberti Clericum conjugatum usque ad mortem carcerali custodia macerasse, personæ etiam scilicet ipsius Archiepiscopi dixisse convicia, & multa alia commississe in ipsius Archiepiscopi & Ecclesiæ Narbonensis contumeliam & opprobrium & totius ordinis clericalis, propter quòd eundem Vicecomitem absolvi non debere dicebat absque satisfactione condigna; Nos, de ojusdem Domini Archiepiscopi expresso

consensu, de satisfactione super iis & pro iis facienda nihil ordinantes ad præsens, ordinandi, mandandi, & statuendi super ea quod nobis placuerit potestatem plenam & liberam reservamus; dicto Vicecomiti sub præstito nobis juramento & pœna promissa mandantes, & quanto districtius possumus injungentes, quòd eo modo de iis omnibus satisfaciat & à suis faciat satisfieri quem sibi verbo dicemus vel nostris communibus litteris intimabimus. Eidem etiam Domino Archiepiscopo sub eadem districtione injungimus & mandamus quòd ea satisfactione quæ à nobis injungetur contentus, aliam à dicto Vicecomite vel suis occasione sententiarum à se vel Officiali suo latorum satisfactionem non exigat seu requirat. Omnibus ergo salvis quæ superius dicta sunt, volumus & mandamus quòd idem Dominus Archiepiscopus latus in Capellam Palatii Vicecomitis suprascripti, civitatis etiam & burgi Narbonensis, & locorum in quibus dictus Vicecomes esset, interdicti sententias in continenti relaxet, & eundem Vicecomitem, Officiales, & familiam, & omnes occasione dictarum spoliationum vel novitatum ab eo vel Officiali suo excommunicationis vinculo innodatos, recepto ab omnibus juramento de stando mandatis Ecclesiæ atque suis, ab omnibus tam suis quàm Officialis sui sententiis absque difficultate & subterfugio dilationis absolvat, impletis iis quæ in continenti mandabimus expediri, nihil eis aliud injuncturus nisi quòd satisfactionem faciant quam eis duxerimus injungendam, & mandata nostra prædicta & adhuc promulganda fideliter impleant & observent. Ab hac tamen generalitate illos excipimus qui in invasione castri de Petriaco per cives Narbonenses facta dominis vel hominibus dicti castri damna vel damnorum occasionem malitiosè dederunt; quos lata con-

tra eos propter hoc excommunicationis sententia manere volumus innodatos, donec de damnis satisfecerint memoratis juxta illius vel illorum arbitrium cui vel quibus hoc Serenissima Domina Francorum Regina commisit vel adhuc duxerit committendum. Quia verò Vicecomes prædictus & aliqui de suis ex causis superiùs memoratis in sententiam canonis inciderunt, præfigimus eis terminum peremptorium, infra quem suam absolutionem bona fide procurent, instans festum Nativitatis beatæ Virginis; infra quem si absolutionis gratiam non obtinuerint, ex tunc, nisi forsitan antea hoc fecerimus, satisfactionem eis pro præmissis excessibus injungemus quam honori divino & ipsius Domini Archiepiscopi & Ecclesiæ Narbonensis & Cleri convenire credemus. Dicto verò Domino Archiepiscopo quanto districtiùs possumus salva reverentia sua injungimus & mandamus quòd nec verbo nec facto per se vel per alium, clam vel palam, se prædicto Vicecomiti vel suis opponat vel difficultatem seu impedimentum ingerat in apostolicæ sedis gratia obtinenda super absolutione eorum alicui vel aliquibus bonis viris in istis partibus committenda, & quòd pro leviori expeditione negotij scribat Summo Pontifici, & etiam procuratori quem habet in curia, in ea forma quam nos dictabimus & dictatam ei mittemus. Retenta igitur nobis integra potestate alia, cùm nobis videbitur, proferendi mandata, interpretandi etiam & declarandi, si quid est vel fuerit dubium in prolati, volumus & mandamus, & utrique parti quanta possumus districtione præcipimus, quòd omnia & singula supradicta inviolabiliter teneant & observent. Salvo jure suo partibus, si quod habent, in proprietate & judiciis petitoriis in universis & singulis per nos superiùs ordinatis. Et sciendum quòd dictus

Dominus Archiepiscopus Iaram interdicti sententiam in civitatem & burgum Narbon. mandantibus dictis Domino Biterrensi Episcopo & Guidone Fulcodio publicè relaxavit. Acta sunt hæc in clauistro sancti Iusti Narbonensis hac die ad audienda dictorum Domini Episcopi & Guidonis mandata partibus assignata. Et interfuerunt Dominus Narbonensis Archiepiscopus, & Bernardus Trasvila procurator Domini Vicecomitis suprascripti. Testes autem interfuerunt Dominus P. Dei gratia Episcopus Agathensis, G. Abbas de Quadragenta, Petrus Rostagni Prior Ecclesiæ B. Mariæ de Burgo Narbonensi, Fredolus Archidiaconus Agathensis, Guillelmus Duranti Canonicus Magalonensis, Raimundus Gaufredi Canonicus Agathensis, Michaël de Villamagna Clericus, Pontius Andreas Clericus, Bernardus Mainardi, Petrus Raimundi, Radulphus Raimundus de Aniorto, Guillelmus Faber, Guillelmus Raimundi, Petrus Raimundi de Montepessulano, Hugo de Plano, Berengarius de Riparia, Guillelmus de Salis, Petrus Dieusajuda, Raimundus Capellerius Jurisperitus, Ermengaudus de Podio Jurisperitus, Guillelmus de Boiano, Bernardus de Olargio, Sicardus de Montebruno, Guiraudus de Peiraguerc, Guiraudus de Montebruno, Guillelmus Ainardi, Bernardus Amorosius, Bertrandus de Lautrico, Iohannes de Lieu, Petrus de sancto Jorio, Aimericus Bertrandi. Et ego Stephanus de sancta Maria publicus Biterrensis Notarius, qui mandato dictorum Domini Episcopi Biterrensis & Guidonis Fulcodij hæc scripsi, & huic instrumento signum meum apposui.

N O V E R I N T universi quòd post recitationem mandatorum venerabilis Patris Domini R. Dei gratia Biterrensis Episcopi & Guidonis Fulcodij super dissensionibus & rancuris inter Dominum G.

Del gratia Narbonensem Archiepiscopum & Dominum Amalricum Narbonensem Vicecomitem suscitatis, & post relaxatam per eundem Dominum Archiepiscopum interdicti sententiam civitatis & burgi Narbonensis, idem Dominus Archiepiscopus potestatem suam concessit Domino I. Abbati sancti Affrodisij Biterris, secundum ordinationem eorundem Domini Episcopi & Guidonis, dictum Dominum Vicecomitem, fautores & officiales ejusdem, juxta formam Ecclesie absolvendi, & latas in Capellam Palatij Domini Vicecomitis supra dicti & loca in quibus idem Dominus Vicecomes esset interdicti sententias relaxandi, atque mandata ipsi Domino Vicecomiti pro ipso Domino Archiepiscopo & suo nomine injungendi, ac restitutiones & satisfactions ab eodem Domino Vicecomite recipiendi, & generaliter illa omnia faciendi quae idem Dominus Archiepiscopus facere deberet & posset, si personaliter praesens esset. Actum fuit hoc ante Palatium ejusdem Domini Archiepiscopi anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, Non. Julij, in praesentia & testimonio Domini R. Dei gratia Biterrensis Episcopi, Domini P. eadem gratia Agathensis Episcopi, Domini B. Abbatis sancti Pauli, Guidonis Fulcodij, Fredoli Archidiaconi Agathensis, Stephani Johannis Sacristae Narbonensis, & mei Stephani de sancta Maria publici Biterris Notarij, qui mandato suprascripti Domini Archiepiscopi haec scripsi. Post haec autem ipsa eadem die, suprascripto Domino Abbate sancti Affrodisij Biterris in praesentia dicti Domini Vicecomitis constituto, idem Dominus Vicecomes Capellam sui Palacij restituit personaliter Bernardo de Riparia Rectori ejusdem, & idem Dominus Abbas sancti Affrodisij absolvit dictum Dominum Amalricum Vicecomitem Narbo-

henssem ab omnibus excommunicationum sententiis
 contra ipsum à Domino Narbonensi Archiepiscopo
 vel Officiali suo prolatis, recepto ab eo juramento
 de stando mandatis Ecclesiæ & ipsius Domini Ar-
 chiepiscopi, & fidejussoribus nihilominus de paren-
 do juri in foro judicio competenti ab ipso Domino
 Abbate receptis super iis pro quibus eundem Do-
 minum Vicecomitem satisfacere dicti Dominus Bi-
 terrensis & Guido Fulcodius præceperunt. Et fuerunt
 fidejussores pro ipso Raimundus de Durbanno & Ber-
 nardus de sancto Stephano Milites. Injunxit insuper
 dictus Dominus Abbas eidem Domino Vicecomiti,
 quòd mandata per suprascriptos Dominum Biterren-
 sem Episcopum & Guidonem Fulcodium promul-
 gata vel adhuc etiam promulganda fideliter adim-
 pleret & inviolabiliter observaret. Sciendum etiam
 quòd idem Dominus Vicecomes dictum Domi-
 num Abbatem sancti Affrodisij nomine dicti Domi-
 ni Archiepiscopi recipientem restituit verbo, & in
 signum restitutionis, quodam flabello eidem Domi-
 no Abbati ab ipso Domino Vicecomite tradito, de
 omnibus seu ad omnia ad quæ vel de quibus di-
 ctum Dominum Archiepiscopum restitui jusserant
 Dominus Biterrensis Episcopus & Guido Fulcodius
 suprascripti. Insuper dictus Dominus Abbas interdi-
 cti sententias per dictum Dominum Archiepiscopum
 latus in Capellam Palatij dicti Domini Vicecomitis
 Narbonensis & loca in quibus eundem Dominum
 Vicecomitem esse contingeret relaxavit. Acta sunt hæc
 Narbonæ in Palatio Domini Vicecomitis suprascripti,
 in præsentia dictorum Domini Episcopi Biterrensis
 & Guidonis Fulcodij, & testium aliorum, scilicet
 Fredoli de sancto Johanne Archidiaconi Agathensis,
 Stephani Johannini Sacristæ Narbonensis, Stephani
 de Conchis Canonici Narbonensis, Raimundi Ca-

pellerij Jurisperiti, Ermengaudi de Podio Jurisperiti, Guillermi de Boiano, Bernardi Trastvila, Guillermi Bartholomæi, Petri Boverij, Raimundi de Lacu, Stephani Magistri de Tholosa, Bertrandi de Capitolio, Bernardi Blancardi, Raimundi de Furno, & mei Stephani de sancta Maria publici Biterris Notarij, qui mandatus hæc scripsi.

Notum sit omnibus quòd cum nos R. Dei gratia Episcopus Biterrensis & Guido Fulcodius venissemus Narbonam, tractaturi de pace inter Patrem venerabilem Dominum G. Dei gratia Narbonensem Archiepiscopum & Ecclesiam sancti Pauli ex parte una, & virum nobilem Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonensem ex altera, proposuit idem Dominus Archiepiscopus coram nobis quòd dictus Dominus Vicecomes contra mandata nuper à nobis prolata veniens, prohibet ejusdem Domini Archiepiscopi Notarium se in instrumentis quæ scribit publicum appellare, nihilominus interdicens recipi ut authentica instrumenta ab eo conscripta, in quibus publicum Domini Archiepiscopi Notarium se appellat. Inhibet etiam ne idem Notarius instrumenta diffinitionum, confessionum, vel alia testamentis vel nuptiis incidentia vel pendentia ex eisdem recipiat, sive scribat. Adjecit etiam idem Dominus Archiepiscopus quòd ipse Dominus Vicecomes nec ipsi Domino Archiepiscopo nec Clericis suis seu Ecclesiis restitutiones fecit ex integro ipsi Domino Vicecomiti à nobis injunctas; postulans super iis intentionem nostram plenius declarari, & eo districtu quo possumus, videlicet tam juramenti quàm pœnæ promissæ, dictum Dominum Vicecomitem ad eas implendas compelli. Nos igitur intellectum nostrum declarare volentes, dicimus intentionis nostræ fuisse, prout patet ex nostri tenore mandati,

mandati, quod dictus Dominus Vicecomes prohibere non debet quin Notarius ejusdem Domini Archiepiscopi in instrumentis quæ scribet, Notarium Domini Archiepiscopi se appellet. Quod sufficere credimus ad fidem instrumentorum plenissimam, etiamsi publicum se non nomet. Sicut nec ipsi Imperialis aulae Notarij publicos se appellant, sed Palatij sacri Notarios. Et in aliis regionibus, alij Regum, alij Comitum, vel procerum aliorum Notarios se subscribunt. Nec tamen dicto Domino Archiepiscopo jus adimimus, si de jure obtinere poterit quod suus Notarius publicum in suis subscriptionibus se appellet. Ad hoc tamen mandatum, quod dedimus, pronuntiamus & dicimus non extendi, cum nec etiam petitum fuerit coram nobis. Sanè declaramus dictum Notarium ab ipso Domino Vicecomite prohibendum non esse testamenta conficere. Quo nomine, juxta largam significationem vocabuli, omnes intelligimus ultimas voluntates; ad quarum robur si testator voluerit liberos suos, vel alios qui eidem succedere poterunt, juramento vel pacto astringere de ipsa ultima voluntate servanda, poterit idem Notarius hoc in serie scribere ultimæ voluntatis. Si verò recognitio debitorum aliquorum inciderit, vel ipsi testatori ab alio, vel ab ipso alij facienda extra seriem testamenti seu ultimæ voluntatis, de hujusmodi intentionis nostræ non fuit aliquid præcipere seu mandare. Verùm nuptialia instrumenta, de quibus in mandato nostro fecimus mentionem, ea intelligimus quæ de sponsalibus vel matrimonii cum dote vel sine dote conficiuntur. Si tamen, sicut sæpius evenit, post instrumentum nuptiale, in quo maritus confessus erit se dotem integram recepisse, fiat postea instrumentum, in quo ille qui dotem constituit, ad dotem solvendam se obli-

gat confessione à marito facta non obstante ; hoc instrumentum, cum verè & propriè sit dotale, nec causa dotis in aliquo sit mutata, intelligimus nomine nuptialis. Porrò si ille qui dotem constituit, penitus remanet liberatus, & dat expromissores seu debitores, qui se pro dote obligant, & soli pro ea tenentur; instrumentum de hoc confectum nec nuptiale dicimus, nec dotale. Si verò alter nubentium patri vel matri vel propinquis facit de bonis eorum remissionem vel finem, istud similiter non intelligimus nomine nuptialis. Salvo igitur jure partis utriusque in petitorio, mandata nostra, pro ut dictum est, declaramus. Ceterum ut secundum nostri tenorem mandati restitutio compleatur injuncta, dicto Domino Vicecomiti eo districtu quo possumus precipimus & mandamus quòd infra festum proximum sanctorum omnium satisfiat Domino Archiepiscopo & Capitulo Narbonensi & Rectori Capellæ Palatij & Abbati & Capitulo sancti Pauli Narbonensis & aliis personis in omnibus restitutionibus de quibus adhuc non satisfecit, quas fieri nuper mandavimus ab eodem, prout in instrumento inde confecto plenius continentur. Acta fuerunt hæc publicè apud Narbonam in domo quondam Johannis Bistanni anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, Rege Lodoyco regnante, XII. Kal. Octobris, in præsentia suprascriptorum Domini G. Dei gratia Archiepiscopi Narbonensis, & Domini Amalrici Vicecomitis Narbonensis; præsentibus etiam testibus infra scriptis, videlicet Domino L. Dei gratia Episcopo Agathensi, Fredolo Archidiacono Agathensi, Deodato de Bociacis, Poncio de sancto Justo & Petro de sancto Justo Canonicis Biterrensibus, Raimundo Gaufrido & Magistro Bernardo Belino Canonicis Agathensibus, Guillermo

Duranto Canonico Magalonensi, Magistro Petro de Furno Rectore Ecclesie de Poieto, Petro de sancto Justo scutifero, Bertrando de Lautrico, Raimundo Bernardo, Raimundo de Villaroia, Amelio de Casulis, Ermengaudo de Podio, Bernardo Trastvila, Petro Ravanno, Bernardo de sancto Stephano, Hugone de Planis, Guillermo Petro de Narbona, Petro Boverio, Petro Raimundo Bedocio, & me Stephano de sancta Maria publico Biterris Notario, qui mandato prædictorum Domini Episcopi Biterrensis & Guidonis Fulcodij hæc scripsi.

BLANCHA Dei gratia Francie Regina universis præsentibus litteris inspecturis salutem. Notum facimus quod nos litteras venerabilis Patris G. Archiepiscopi Narbonensis & dilecti nostri A. Vicecomitis Narbonensis vidimus in hæc verba: Notum sit omnibus quod cum nos G. Archiepiscopus Narbonensis in virum nobilem Amalricum Vicecomitem Narbonensem diversis ex causis excommunicationum sententias &c. Feria v. post *Esto mihi.*] *Exant supra pag. 125. Sequitur in literis Regine.* Quia vero hæc in nostra præsentia concessa & acta fuerunt, nos ad petitionem prædictorum Archiepiscopi & Amalrici in hujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini MCC. quinquagesimo, mense Marcio.



XXV.

Acta satisfactionis Amalrici Vicecomitis Narbonensis, qui Arnaldum Guilaberti Clericum uxoratum in carcerem coniectum, illic compulit expirare.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN Christi nomine. Anno nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, III. Idus Decembris, Lodoyco Rege regnante. Noverint universi hoc præsens publicum instrumentum inspecturi quod nobilis vir Dominus Amalricus Vicecomes Narbonensis juravit sacrosanctis Evangeliiis corporaliter tactis stare mandato & mandatis & omnimodæ voluntati venerabilis Patris in Christo Domini R. Dei gratia Biterrensis Episcopi, super eo quod dicebatur detinuisse Arnaldum Guilaberti Clericum uxoratum, publicum scriptorem Narbonæ, tamdiu carcerali custodia mancipatum, quousque ultimus ejus spiritus exhalavit, subiciens se dictus Dominus Vicecomes jurisdictioni dicti Domini R. Biterrensis Episcopi & potestati suæ, ut posset eum excommunicare & facere excommunicatum ubique denuntiari, nisi super iis omnimodæ voluntati & mandatis ipsius obediret, vel in aliquo repugnaret. Petens etiam & requirens dictus Dominus Vicecomes à præfato Domino Biterrensi Episcopo sibi super dictis absolutionis gratiam impendi juxta formam mandati seu commissionis apostolicæ ipsi Domino Episcopo specialiter destinatæ. Unde dictus Dominus Episcopus absolutionem impendit

eidem Domino Vicecomiti juxta formam Ecclesiæ; reservata tamen sibi, sub præstito juramento, pœna & pœnitentia ipsi Domino Vicecomiti imponenda super dictis ad diem sibi per eundem Dominum Episcopum assignandam. Acta sunt hæc in Ecclesia de Treussano prope Caputstagnum in præsentia & testimonio venerabilis Patris in Christo Dei gratia G. Narbonensis Archiepiscopi, & Domini Jacobi Dei gratia Abbatis sancti Affrodisij de Biterris, Domini B. de Dorna Archidiaconi Biterrensis in Caprariensi, P. Vesiani Canonici sancti Affrodisij Biterrensis, P. Nazarij Capellani, Guillelmi Petri Clerici, R. de Lacu Militis, R. de Furno civis Biterrensis. Sit autem certum quòd post hæc, anno natiuitatis Christi m.c.c.l. quarto, v. Kal. Novembris, Ludoyco Rege regnante, cùm venerabilis Pater in Christo dictus Dominus Biterrensis Episcopus præfatum nobilem virum Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonensem auctoritate sibi ab apostolica sede concessa, præstito juramento de parendo mandatis suis, juxta formam Ecclesiæ absolvisset à sententia excommunicationis qua tenebatur astrictus pro eo quòd dictum Ar. Guilbertum Clericum uxoratum, publicum Narbonensem scriptorem, ac Domini Narbonensis Archiepiscopi Notarium, capi & captum carcerali custodiæ fecisset tamdiu donec ibidem carnis debitum exolvisset, demum idem Dominus Episcopus, deliberatione habita, & magnorum consilio adhibito, mandata infra scripta dedit & injunxit eidem Domino Amalrico pro pœnitentia salutari, ad profectum animæ suæ, & ut præsumptores & ecclesiastici ordinis contemptores perpetrare similia pertimescant, transeâtque hujusmodi satisfactio ad posteros in exemplum. In primis injunxit eidem Domino Amalrico dictus

Dominus Episcopus quòd nunquam de cetero Clericum capiat vel capi faciat absque sui iudicis ecclesiastici licentia, vel captum à suis faciat detineri. Consequenter injunxit eidem quòd corpus ejusdem Ar. Clerici defuncti suis expensis quærat vel quæri faciat, ubicunque reconditum fuerit, & ossa illius, quæ inventa fuerint, ad domum ubi dictus Ar. cum uxore sua, dum viveret, morabatur faciat apportari, & inde honorificè cum celebritate debita, vocato Clero sancti Justi, ossa illa in lecto, ac si funus recens vel cadaver esset, in cimiterio sancti Felicis, cujus dictus Ar. parrochianus extiterat, tradantur more solito ecclesiasticæ sepulturæ, & hæc omnia procuret suis sumptibus dictus Dominus Amalricus Vicecomes memoratus. Insuper præcepit & injunxit eidem Domino Amalrico dictus Dominus Episcopus quòd Rectori dictæ Ecclesiæ sancti Felicis tantum assignet perpetuò in redditibus quòd idem Rector & successores sui annuatim dicti Ar. anniversarium in jamdicta sancti Felicis Ecclesia faciant celebrari in ea die in qua cum dicto Rectore dictus Dominus Episcopus ordinabit; ita quòd tunc quicunque Rector fuerit Ecclesiæ sancti Felicis, faciat à decem sacerdotibus Missas ibidem celebrari pro anima dicti Ar. & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Quibus celebratis, & absolutione defunctorum, ut moris est, facta in cimiterio, dictus Rector det sacerdoti cuilibet sex denarios Melgorienses liberaliter pro remedio animæ dicti Ar. & pro expiatione dicti commissi ipsius Domini Amalrici. Ad evidens etiam testimonium, ut clareat dicti commissi satisfactio in exemplum, voluit & præcepit dictus Dominus Episcopus quòd præfatus Dominus Amalricus instituat unam lampadem in Ecclesia sancti Justi Narbonensi archiepiscopali, quæ de die & nocte

ardeat & fortiter luceat in medio ipsius Ecclesiæ, tantumque assignet Sacristæ sancti Iusti in redditibus quod quicumque pro tempore Sacrista fuerit, dictam lampadem de redditibus sibi ab eodem assignatis, ardere faciat & lucere sine fraude. Præcepit nihilominus eidem Domino Amalrico quod decem libras Turonenses expendat in vestimentis fratrum Minorum & Prædicatorum & aliorum pauperum ob reverentiam Jesu Christi. Hæc universa & singula injunxit dictus Dominus Episcopus ipsi Domino Amalrico pro pœnitentia salutari, mandans ei & præcipiens in virtute præstiti juramenti quod prædicta omnia mandata totaliter compleat humiliter & devotè usque ad instans festum Natalis Domini, ita quod per hanc satisfactionem possit tanti commissi à Deo veniam consequi, divinam gratiam & æterna gaudia promereri. Data fuerunt hæc mandata & præcepta dicto Domino Amalrico per dictum Dominum Episcopum apud Biterrim, in scholis Theologiæ fratrum Minorum, in præsentia & testimonio dicti Domini Ja. Dei gratia Abbatis sancti Affrodisi de Biterris, Guillelmi Duranti Canonici Magalonensis, Guillelmi Atthonis Canonici Biterrensis, R. Guiraudi Helemosinarij sancti Affrodisi, Poncij de la Redorta Militis, R. de Lacu Militis, Ermengaudi de Podio Jurisperiti de Biterris, R. de Furno civis Biterrensis, Ber. de Selliano, Gr. de Pepios de Aziliano, Beraudi de Salvio, & mei Magistri Michaëlis publici Biterrensis Notarij, qui omnibus supradictis interfui, & de mandato dicti Domini Episcopi hæc scripsi, & signum meum apposui.

Vide Catellum in Memoriis Historia Occitanica pag. 609.

XXVI.

Bulla Innocentij IV. de confessionibus
parrochianorum per proprios sacerdo-
tes audiendis, & sacramentis per ipsos
adminiſtrandis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Episcopuſ ſervuſ ſervorum
Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi
ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Lecta coram
nobis gravis dilectorum filiorum Abbatis & Capitu-
li ſeculariſ Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonenſis queri-
monia continebat quòd licet in ipſa & aliis Eccleſiis
ad eos immediatè ſpectantibus ad audiendas parro-
chianorum ipſorum confessiones deputaverint ſacer-
dotes, qui ægras mortalium mentes pia moderatione
pro ætate, ſexu, & viribus ad ſalutem perducere
divina curatione noverunt, nihilominus tamen ipſi
parrochiani, irrequiſitis eiſdem ſacerdotibus, immo
potiùs damnabiliter vilipenſis, ad quòſdam Religio-
ſos, velut apud ipſos reſinam duntaxat ſalutiſ inve-
niant, ſe temerè transferentes, opertos eiſ peccato-
rum nudant morbos, iniquitatiſ revelant ſecretum,
& virus vitiorum in confessione depromunt. Et
quanquam iidem Religioſi, cum non ſint ſui judi-
ces, ipſos non poſſint ſolvere vel ligare, imaginaria
tamen quadam abſolutione ipſiſ illudere ac noſtræ
peregrinationiſ poſtmodum conferre viaticum in
ſuarum non verentur diſpendium animarum. Ex quo
illud inconveniens evenit, quòd celerem ſibi parro-
chianuſ taliſ damnationem inducit, qui non dijudi-

cans corpus Christi, ipsum à labe sic suscipit crimi-
 num non mundatus, & sacerdos illi, apud quem pro
 tali parrochiano ægroto animam suam defixit, non
 potest, vultum ipsius ignorans, de illo dignam red-
 dere rationem, nec ei suæ curæ commisso salubria re-
 media parare, cùm ægritudinem suam ejusque cir-
 cumstantias aliquatenus non agnoscat. Porrò, tan-
 quam parum sit proprios taliter sacerdotes despiciere,
 nisi eorum Ecclesiæ pariter contemnantur, iidem par-
 rochiani, sicut prædictorum Abbatis & Capituli ha-
 bebat assertio, cùm in præfatis Ecclesiis tam in offi-
 ciis divinis quàm sacræ prædicationis eloquiis aure
 devotionis vocem sui deberent suscipere sacerdotis,
 ipsis Ecclesiis contra sacrorum canonum statuta con-
 temptis, ad eorundem Religiosorum divertunt Ec-
 clesias, prædicta officia inibi pro suæ voluntatis ar-
 bitrio audituri. Propter quod ipsis nihilominus Re-
 ligiosis, qui tales deberent præsumptores abicere, eos
 cum gravi aliorum jactura allicientibus &, ut fertur,
 inducentibus ad præmissa, contingit prædictos Ab-
 batem, Capitulum, & sacerdotes Ecclesiarum ipsa-
 rum solitis parrochianorum suorum oblationibus
 aliisque obventionibus multipliciter defraudari. Ce-
 terùm adjecerunt iidem Abbas & Capitulum, quòd
 si parrochianorum suorum necnon Ecclesiarum ea-
 rundem contingat in ægritudinis lectum quemquam
 decidere, statim confluent Religiosi prædicti, & ple-
 runque infirmum invitatione præventa sub pietatis
 specie visitantes, ipsius testamentum componunt &
 ordinant, magno tandem ascribentes muneri, si exe-
 cutores mereantur ipsius fieri testamenti. Quid plu-
 ra? Blandis ipsorum infirmus illectus sermonibus,
 omissis avitis & paternis sepulcris apud eos eligens
 sepeliri, ampla ipsis, prædictis verò Ecclesiis nulla
 vel modica legata largitur, & ut ex hujusmodi legatis

Abbas & Capitulum ac sacerdotes prædicti non possint ab eis canonicam exigere portionem, interdum ipsa, ut creditur, non sine fraudis commento ad fabricam & perpetuum divinum cultum suarum Ecclesiarum relinqui procurant. Verùm cum per hæc & alias ab ipsis Religiosis memoratis Abbati & Capitulo & præfatis sacerdotibus multiplices irrogatas injurias ipsi mutilationem in suis beneficiis non modicam patiantur, fuit nobis ex parte ipsorum humiliter supplicatum ut molestiis & injuriis terminum dignaremur imponere supradictis. Nos itaque, qui cunctos Christi fideles & præsertim regularis ordinis professores eo providentiæ studio gubernari cupimus ut in eis curiosus etiam scrutator nihil inveniat nota dignum, ipsorum Religiosorum famæ, parochianorum saluti, & prædictorum Abbatis & Capituli & sacerdotum prædictarum Ecclesiarum profectibus salubriter providere volentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus præfatos parochianos, ne contemptis prædictis Ecclesiis pro divinis audiendis officiis & recipiendis temporibus congruis ecclesiasticis sacramentis ad alienas accedant Ecclesias, nec non & ipsos Religiosos, cujuscunque sint ordinis, ne in aliorum præjudicium parochianos præfatos ad hujusmodi officia seu sacramenta recipiant, nec confessiones audiant eorundem, nisi petita prius & obtenta licentia à sacerdote proprio juxta statuta Concilij generalis, nec etiam, nisi apud eos ex devotione animi elegerint tumulari, ipsos ad sepulturam admittant, ita tamen quòd tunc eadem Ecclesiæ portione canonica non fraudentur, auctoritate nostra per te vel per alium attentius moneas, & inducas ipsos ad id, & ut de cetero ab hujusmodi prædictorum Abbatis & Capituli & eorundem Ecclesiarum sacerdotum molestiis & injuriis

omnino abstineant, per censuram ecclesiasticam appellatione remota prævia ratione compellens. Non obstante aliqua indulgentia Religiosis ipsis vel aliis sub quacunque verborum forma ab apostolica sede concessa, per quam non expressam præsentibus de verbo ad verbum præmissa impediri valeant vel differri. Datum Asisij vi. Idus Maij, pontificatus nostri anno undecimo.

Extat in eodem archivo similis Bulla ad eundem Archiepiscopum eadem die missa in gratiam Prioris sanctæ Mariæ de Burgo Narbonensi, ordinis sancti Benedicti. Vide Thomam Cantipratanum in libro secundo Apum cap. xxii. & seqq.

X X V I I.

Epistola Alexandri IV. Papæ ad Guidonem Fulcodium Episcopum Aniciensem, quem orat ut Narbonensis Archiepiscopi negotia suo favore foveat apud Regem.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Aniciensi salutem & apostolicam benedictionem. Inclita memoria progenitorum carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Franciæ per orbem terrarum celebris habetur in multis, sed in eo præcipuè, quòd ipsi virtutum desiderantes operibus, ministros Dei pio favore prosequi & Ecclesias ac religiosa loca regni sui studuerunt devotissimè venerari, multis illa fœcundando divi-

riis, & fovendo præfidiis opportunis. Sanè de jamdicto Rege, cujus fama clarissima ubique terrarum per Dei gratiam mirabiliter est diffusa, evidentibus signis agnoscitur quòd ipse progenitoribus eisdem in piis votis & bonis operibus multùm assimilis invenitur. Hac siquidem de causa nos litteras nostras ei direximus continentes ut Senescalcum Carcassonensem & Balivos suos tradita sibi potestate coërceat quòd ipsi venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum & Ecclesiam Narbonensem, ac Prælatos Ecclesiarum suę civitatis & diocesis, necnon quosdam ex suffraganeis ejusdem Ecclesię, in suis juribus & libertatibus non offendant. Habetur etiam in eisdem litteris quòd idem Rex pro divina & nostra reverentia jamdictum Archiepiscopum desistat cogere ut in curia sua de quibusdam castris & possessionibus spectantibus ad præfatam Ecclesiam debeat respondere. Quia verò delectabile tibi esse credimus ut illa quę Deo grata & accepta nobis esse percipis, promptis affectibus exequaris, fraternitatem tuam attentè rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus præfatum Regem secundùm datam tibi à Deo prudentiam efficaciter moneas & inducas quòd ipse preces nostras pro eodem Archiepiscopo sibi directas benignè audiat & perficiat diligenter, ita quòd nos illa quę opportuno tempore sibi votiva senserimus, paterna benivolentia compleamus, & tibi nihilominus simus propter hoc in condigna gratiarum affluentia debitores. Quod autem super hoc inveneris & feceris, nobis fideliter rescribere non omittas. Datum Anagninę 11. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno quinto.

De eadem re scriptum est Archiepiscopo Rothomagensi 14. Non. Octobr. ejusdem anni. Extat

authenticum in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Quo loco adnotandum est, Bullam primò scriptam fuisse ad Archiepiscopum Bituricensem, sed istud mutatum esse. Nam in authentico super verbo Bituricensi scriptum est Rothomagensi. Et in fronte Bulla hac scripta sunt. Non scribatur Bituricensi Archiepiscopo, sed Archiepiscopo Rothomagensi, qui est præcipuus inter Consiliarios Domini Regis, & cui, ut dicitur, multum credit. In eundem modum scriptum est Consiliariis Regis Francia. Datum IV. Non. Octobris.

XXVIII.

Decretum electionis Guidonis Fulcodij
Archiepiscopi Narbonensis.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

IN nomine Domini & individuae Trinitatis. Anno MCCL. nono, VI. Idus Octobris. Constat quidem hoc publico & authentico instrumento, quod cum vacante Narbonensi Ecclesia Capitulum Narbonense in nos Berengarium Sacristam, Pontium de Broa Archidiaconum Reddensem, Magistrum B. Succentorem, G. Petri & Benenatum de Lavannia Canonicos Narbonenses, electos electores per G. Archidiaconum & S. Præcentorem Narbonenses, & datos, ex potestate ipsis ab eodem Capitulo tradita providendi ipsi Ecclesiae de Pastore, unanimiter transtulerunt potestatem, promittentes quod ipsum quem ex nobis vel aliis per electionem canonicam seu postulationem nos quinque vel major pars ex nobis duxerimus eligendum vel etiam postulandum reciperent in

Archiepiscopum & Pastorem, nos siquidem quinque electores superiùs nominati, habito inter nos super provisione hujusmodi diligenti tractatu, Deum solum habentes præ oculis, & communem totius provincie utilitatem tam spiritualiter quàm temporaliter providè attendentes, ad provisionem Ecclesie supradictæ secundùm datam nobis à Deo providentiam processimus in hunc modum. Ego Pontius de Broa Reddensis Archidiaconus in Ecclesia Narbonensi consentio in Dominum Guidonem Episcopum Aniciensem, in Narbonensem Archiepiscopum postulandum. Et ego Berengarius de Narbona Sacrista consentio in Dominum Guidonem Aniciensem Episcopum supradictum. Et ego Magister B. Bellini Succentor consentio in eundem Dominum Guidonem Aniciensem Episcopum. Et ego Guillermus Petri consentio in prædictum Dominum Guidonem Episcopum Aniciensem. Et ego Benenatus de Lavannia in nomine Domini consentio in Dominum Guidonem Aniciensem Episcopum sæpedictum. Cùmque divina faciente gratia in idem convenient vota nostra, Ego Berengarius Sacrista prædictus pro me & pro omnibus coelectoribus meis antedictis de mādato ipsorum coelectorum expressè mihi facto vice mea & vice eorundem coelectorum meorum necnon & Capituli Narbonensis prædictum Dominum Guidonem Aniciensem Episcopum in Archiepiscopum & Pastorem Ecclesie Narbonensis postulo eligendum ac eligo postulandum. Actum in Capella sancti Pauli, in qua conveniunt Canonici in Capitulo, præsentibus electoribus supradictis & me S. Rainaudi Notario Domini Archiepiscopi Narbonensis, qui interfui omnibus supradictis, & hoc præsens decretum scripsi, & in publicam formam redegi rogatus. Et ne prædicta valeant in dubium revocari,

Capitulum supradictum hoc Decretum suo communi sigillo munivit. Et ad majorem cautelam tam supradicti Electores quàm ceteri de Capitulo qui voluerunt & potuerunt ac debuerunt interesse, præfenti Decreto sua sigilla fecerunt apponi.

XXIX.

Acta homagij quod annó MCCLX. Amalricus Vicecomes Narbonensis præstitit Guidoni Fulcodio Archiepiscopo Narbonensi.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

VNIVERSIS tam præsentibus quàm futuris sit manifestum & clarum quòd nobilis vir Amalricus Dei gratia Vicecomes Narbonæ, pro se & heredibus & successoribus suis tam præsentibus quàm futuris, cum hac publica scriptura scit, profiteatur, & in veritate recognoscit Domino Guidoni Dei gratia Episcopo sanctæ Narbonensis Ecclesiæ electo & successoribus suis se & antecessores suos semper habuisse & tenuisse ab ipso Domino Guidone & à prædecessoribus suis & ipse adhuc ab ipso tenet in feudum quicquid quantumcumque hodie habet & possidet vel habere potest aut debet aliquo modo vel aliquo jure vel ratione, vel aliqui alij habent hodie, tenent, seu possident, seu unquam etiam antecessores sui habuerunt, tenuerunt, & possederunt in toto burgo Narbonæ & in suis terminis, appendiciis, & adjacenciis, longè & propè, & totam etiam medietatem civitatis Narbonæ, sicut limitata & terminata est, cum suis terminis, appendiciis, &

adjacentiis, longè & propè; pro ut in compositione olim facta inter Dominum Aimericum genitorem suum & Dominum Arnaudum bo. me. antecessorem ipsius Domini Guidonis plenius continetur; videlicet sicut discurret hæc medietas civitatis à porta aquaria, quæ nunc est ferrea, subtus Palatium suum, per viam rectam, usque ad quadrivium Crucis, & ab ipso quadrivio usque ad furnum sancti Justi, & deinde per mercatum vetus ad portam regiam. Scit etiam, profitetur, & in veritate recognoscit eidem dicto Domino suo Guidoni & Ecclesiæ Narbonensi quòd sui proprij juris sunt & in suo proprio alodio & jure dominij habent & tenent, & habere & tenere debent in prædicta parte civitatis, quam ab ipso tenet versus Circium, sicut dictum est, scilicet Milites & firmancias Militum & familiarium eorum & etiam Clericorum & omnium habitantium in domibus eorundem, & fevales, & albergas Militum, & turrets, cum mansis & muris & eorum pertinentiis, quæ quidem turrets sunt à medio portali de porta regia in ea præ nominata parte civitatis versus Circium usque ad turrem Maurescam, quæ tota cum suis tenenciis est de jure archiepiscopali, & totum Capitolium, & mansum Arnaudi Amalrici, & mansum qui fuit Prioris de Monte-Laurencio, & mansum Poncij de Maluis, & mansum qui fuit Petri de Aviatio, & domos etiam Clericorum. Et pro iis omnibus & singulis suprascriptis, quæ dictus Dominus Amalricus tenet à dicto Domino electo & Ecclesia Narbonensi, gratis & non circumventus in aliquo aut suggestus, sed sua spontanea voluntate, cum hac eadem publica scriptura nunc & semper firmiter valitura pro se & omnibus heredibus & successoribus suis præsentibus atque futuris super sancta Dei Evangelia manualiter tacta eidem Domino

Domino Guidoni Episcopo sanctæ Narbonensis Ecclesie electo & successoribus suis juravit & Ecclesie Narbonensi fidelitatem & vitam & membra, ita quod ipsum Dominum Guidonem Episcopum sancte Narbonensis Ecclesie electum & Ecclesiam Narbonensem & res bonaque ipsorum pro posse suo ubique contra quaslibet personas defendet, custodiet, ac conservabit ab omni damno & læsione, & fidelis in omnibus & per omnia eis semper erit, tanquam homo vel vassallus esse debet domino suo. Et sic junctis manibus sitis ac missis inter manus dicti Domini electi, homagium ei fecit & recognovit in præsentis, promittens eidem sua bona fide & sub virtute præstiti juramenti quod ipse vel successores aut heredes sui per ullam interpositam personam vel subrogatam contra hæc prædicta vel eorum aliquid nunquam venient vel veniri facient aliquo jure vel ratione, nec fecit vel faciet aliquid quominus eidem Domino electo vel successoribus suis valeant & Ecclesie Narbonensi. Sciendum tamen quod cum prædictus nobilis homagium facturus prædictum diceret quod salvo jure suo & aliorum juramentum & fidelitatem præstaret, sæpeditus Dominus G. Episcopus sanctæ Narbonensis Ecclesie electus taliter recipere homagium recusavit. Et tunc prædictus nobilis simpliciter fecit homagium & fidelitatis præstitit juramentum. Acta fuerunt hæc apud Narbonam in Ecclesia beatorum Martyrum Justi & Pastoris, coram altare sancti Justi, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, regnante Rege Lodoyco, VIII. Idus Madij, in præsentia & testimonio Guillermi Bardinæ Archidiaconi majoris Narbonensis, Bernardi Archidiaconi Corbariensis, Pontij de Broa Archidiaconi Redensis, Petri de Salsis Archidiaconi de Fenolletto, Srephani Amelij Præ-

centoris, Berengarij de Narbona Sacristæ, Guiller-
mi Petri, Raimundi Gaiffati, Philippi Sacristæ Aga-
thensis, Gandulphi & Beneñati Canonorum Nar-
bonensium, Petri Archidiaconi Agathensis, Jacobi
Esquerij Canonici Agathensis, Guillermi Magistri
Helemosinarij, Johannis Romegeria Ebdomedarij
sancti Justi, Raimundi de Durbanno, Bernardi de
S. Stephano, Guiraudi de Pipionibus, Gaucerandi
de Fontejoncofo, Guillermi de Borbono, & Gui-
donis de Senacio Militum, Guillermi Augerij, Rai-
mundi de Crozis, & Johannis Guarini Clericorum,
Petri Grossi, Sicardi Fabri, Guillermi Fabri, Rai-
mundi Petri, Raimundi Boneti, Raimundi Agarni,
Petri de Lacu, Magistri Petri de Villalonga, Domi-
ni Raimundi Alfredi Canonici Aniciensis, Domini
Alphanni Militis, Petri Raimundi de Montepesu-
lano, Petri de Fraxino, Berenguarij Mainardi, Gui-
raudi Ademari, Bedocij de Ceiano, Petri Boverij
Vicarij curiæ Domini Amalrici, & Bernardi Trans-
villa Judicis ejusdem curiæ, Petri Raimundi Bedo-
cij Vicarij curiæ Domini Archiepiscopi, & Rai-
mundi Barbelli Officialis ejusdem curiæ, Stephani
Rainaudi Notarij Domini Archiepiscopi, & plu-
rium aliorum, & mei Petri Grandis publici Biterris
Notarij, qui hæc scripsi, & signum meum apposui.

Noverint universi & singuli præsentem cartam in-
specturi quod cum nobilis vir Amalricus Dei gratia
Vicecomes Narbonensis protestaretur, cum vellet
homagium facere & fidelitatis juramentum præstare
venerabili Patri Domino Guidoni Dei gratia Epif-
copo sanctæ Narbonensis Ecclesiæ electo, salvo jure
suo & aliorum, jus suum protestans & sibi reservans
in iis quæ acta fuerunt in compositionibus initis in-
ter Dominum Aimericum genitorem suum & bo-

me. Dominos Arnaudum & Petrum Archiepiscopos Narbonenses, dictus venerabilis Pater Dominus Guido Episcopus sanctæ Narbonensis Ecclesiæ electus protestationem hujusmodi non recipiens nec acceptans, protestatus fuit quod pleno jure suo & Narbonensis Ecclesiæ purè ac simpliciter homagium recipiebat & debitæ fidelitatis juramentum. Acta fuerunt hæc anno quo supra & die in Ecclesia beatorum martyrum Justi & Pastoris, in præsentia & testimonio prædictorum testium, & mei Petri Grandis publici Biterris Notarij, qui hæc scripsi, & signum meum apposui.

X X X.

Vrbani Papæ IV. epistola ad Guidonem Archiepiscopum Narbonensem, ne diutius pertinax sit in recusando Cardinalatus honore.

Ex duplici codice MS. uno regio, & altero nostro.

PROFUNDIS meditationibus laboriosisque vigiliis urgens Ecclesiæ generalis non dissimulanda necessitas nos & fratres nostros reddit anxios in acquirendis viris secundum cor nostrum idoneis ad Cardinalatus præminentiam assumendis. Opus enim est, cum de talibus agitur, curam assiduam, sollicitam operam, & vigilè studium adhiberi, ut insigniendi tantæ titulo dignitatis, habeantur devotionis immensitate præfulgidi, consilij maturitate conspicui, discretionis honestate decori, magnanimitate sublimes, & virtutibus præcellentes. In cardine quidem præminentis apostolatus divina provi-

dentia tales voluit confedere ministros, eosque tan-
 ti prerogativa sublimavit honoris, ut tanquam mem-
 bra in unum corpus convenientia Summo Pontifici
 velut proprio capiti deservirent, & existentes ejus-
 dem Ecclesiae columnae praecipuae, ipsius onera sup-
 portarent. Inter alios autem quos omnipotens ad-
 gerendum tantum officium utiles nostrum & eo-
 rundem fratrum consilium honorari decrevit, ad
 personam tuam specialiter mentis nostrae converti-
 mus aciem, & pensatis omnibus quae pensari erga
 tam ardui qualitatem negotij debuerunt, te in Epis-
 copum Sabinensem duximus eligendum. Tu vero
 praetendens quod Ecclesiae ac provinciae Narbonensi
 necessarius habebaris, quodque in illis partibus erga
 curam animarum gratum Deo sacrificium immolare,
 ac volens in ea vocatione in qua vocatus fueras a
 Domino remanere, tuis etiam diebus cupiens indul-
 gere quieti, ab onere Cardinalatus eximi postulasti.
 Profecto fatemur quod existens ubilibet per opera
 utilia & exempla laudabilia fructuosus, adificas
 utiliter ad salutem, & ex data prudentia tibi divini-
 tus scis & potes fructus laudabiles in domo Domini
 germinare. Talia namque nos potissimum induxerunt
 ut te in partem sollicitudinis apostolicae vocaremus,
 ut quanto majorem in hac parte laborem assumens,
 tanto tibi apud Deum potiora praemia compares. In-
 tendentes igitur commoda publica praefere priva-
 tis, & nolentes quod praetextu Narbonensis Eccle-
 siae, sedis apostolicae, quae omnium Ecclesiarum caput
 est & magistra, derogetur honori, supplicationibus
 tuis non duximus annuendum. Ceterum ne ulte-
 rius similis excusationis materiam prosequaris,
 quinimmo beneplacitis apostolicis tua vota confor-
 mes, fraternitati tuae in virtute obedientiae praecipien-
 do mandamus quatenus omnibus praetermissis infra

..... festum ad præsentiam nostram festinus accedas, impositum tibi onus ad laudem divini nominis ejusdem generalis Ecclesiæ suscepturus.

Vide epistolam Urbani IV. ad Ludovicum IX. Francorum Regem, quæ edita est à Raynaldo ad nu m 1262. §. 45.

X X X I.

Urbani Papæ IV. epistolæ ad Guidonem Episcopum Sabinensem, sedis apostolicæ Legatum in Angliam destinatum.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cum te ad partes Angliæ, tibi commissio inibi ac in Vallia & Hibernia plenæ legationis officio, pro ingenti & arduo negotio duxerimus destinandum, quia in desideriis nostris geritur ut submotis impedimentis quibuscumque hujusmodi negotium felicem consequatur effectum, convocandi ad tuam præsentiam Principes ac Ecclesiarum Prælatos & alios quoscumque fideles quorumlibet regnorum & provinciarum, quandocumque promotioni dicti negotij videris expedire, ac injungendi quæ utilia ipsi negotio fore videris, ac invocandi eorum auxilium contra quascumque personas ecclesiasticas ac seculares tuæ legationis & alias adhærentes eisdem quæ tibi non paruerint vel te impedire

præsumpserint in negotio suprascripto, compellendi quoque monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota Principes, Prælatos, & fideles eosdem ad impendendum tibi huiusmodi auxilium, non obstantibus aliquibus indulgentiis sedis apostolicæ de quibus quarumque totis tenoribus oporteat in nostris litteris plenam & expressam mentionem fieri, & per quam effectus concessionis huiusmodi impediri valeat vel differri, fraternitati tue plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum apud Urbem-veterem x. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXII.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm te ad regnum Angliæ, commissio tibi in illo, in Vvallia, & Hibernia legationis officio, specialiter destinemus, nos volentes ut spirituum largitione munerum incolas illarum partium reddas Deo & sedi apostolicæ plus devotos, fraternitati tuæ dispensandi per te, vel per alium, aut alios, cum Ecclesiarum Prælati & personis ecclesiasticis tuæ legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint legatione durante, ferendo in alios, contra constitutionem felicitis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri super hoc editam, excommunicationis sententiam sine scriptis, & non abstinendo à divinis juxta tenorem constitutionis ipsius, liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem vi. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXIII.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis apostolatus officio, quod merito nos constituit omnibus debitores, circa emergentia undique negotia necessario invigilamus, & ubi præsentiam nostram exhibere non possumus, ibi per illos quos nonnunquam de latere nostro sumimus, curamus exsolvere debitum apostolicæ servitutis. Intellecto igitur quòd hostis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator, gravem dissentionem in regno Angliæ suscitavit, ex qua ipsius regni fidelibus gravia corporum & animarum dispendia imminere noscuntur, nos felicem ejusdem regni statum plenis desideriis affectantes, te, quem Dominus erudit sapientia & virtutibus insignivit, ad partes illas pro sedanda dissentione hujusmodi, tanquam pacis angelum, commisso tibi plenæ legationis officio, destinamus. Propterea cupientes ut hujusmodi negotium felicem consequatur effectum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si rebellionem venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & aliorum Prælatorum Ecclesiarum, ac Nobilium virorum, Comitum, Baronum, & aliorum regni ejusdem requirere videris, contra illos qui tibi vel carissimo in Christo filio nostro Regi Angliæ illustri rebelles fuerint, per te vel alios regulares & seculares, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, prædices verbum crucis, & eam volentibus recipere largiaris; concessa illis qui in propriis laboribus & expensis in subsidium dicti Regis & in favorem prædicti negotij, & eis qui in propriis

personis, sed in alienis expensis, ac illis qui in expensis suis mittent idoneos bellatores contra rebelles huiusmodi, illa suorum venia delictorum, de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint, quæ terræ sanctæ succurrentibus in generali Concilio est concessa. Ceterum commutandi omnia vota, & si urgenti necessitati negotij videris expedire, etiam Ierosolymitanum, in huiusmodi subsidium, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

X X X I V.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Pro sedanda discordia quam pacis amulus & zizanix persecutor inter carissimum in Christo filium nostrum Regem & carissimam in Christo filiam nostram Reginam Angliæ illustres ac natos ipsorum ex parte una, & nonnullos Barones, Nobiles, ac alios regni Angliæ, ex altera, seminavit, & pro quibusdam aliis arduis & urgentibus negotiis commisso tibi tam in eodem regno quam in Valliæ ac Hiberniæ partibus plenæ legationis officio, de fratrum nostrorum consilio te duximus destinandum, quamplurima tibi nihilominus per speciales literas concedendo. Volentes igitur ut præmissi officij executio tibi sit libera, & submotis difficultatibus ac impedimentis quibuslibet expedita, tenore præsentium declaramus quod nostræ intentionis & voluntatis existit quod per prædicta quæ tibi specialiter sunt concessa, iis quæ tibi ratione legationis competunt, in nullo penitus derogetur; sed volumus quod hoc non obstante, illa plenarie ac liberè nihilominus exequaris. Datum apud

Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

X X X V.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm te ad partes Angliæ, tibi commissõ inibi ac in Vvalla & Hibernia plenæ legationis officio, pro quibusdam arduis & urgentibus negotiis destinemus; nos volentes ut spiritualium largitione munerum incolas illarum & aliarum partium, ad quas te devenire contigerit, reddas Deo & sedi apostolicæ plus devotos, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut in magnis colloquiis & congregationibus quæ occasione prædictorum negotiorum pro quibus te ad partes illas mittimus, tam infra legationis tuæ fines quàm extra, fieri contigerit, & in festis solemnibus, in Missarum solemnibus, ac in translationibus sanctorum, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad colloquia, congregationes, solemnias, translationes hujusmodi accesserint, unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer valeas relaxare. Datum apud Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Vide epistolam ejusdem Urbani ad Archiepiscopos, Episcopos, & ceteros Ecclesiarum Prelatos per regnum Angliæ constitutos, quæ ab Odorico Raynaldo edita est ad ann. 1263. §. 85.

XXXVI.

Bulla Clementis IV. adversus monachos quosdam Parisienses, qui interdictum Episcopi Parisiensis non observaverant.

Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Decano, Thesaurario, & Officiali Meldensi, salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Parisiensis Episcopus petitione monstravit quod cum ipse nuper pro quibusdam injuriis sibi & Ecclesie Parisiensis a Præposito & Custode civitatis Parisiensis illatis civitatem ipsam supposuisset exigente justitia ecclesiastico interdicto, Abbas & Conventus monasterij sanctæ Genovefæ Parisiensis, ordinis sancti Augustini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, sancti Martini de Campis, sancti Dionysij de carcere, ac sancti Juliani pauperis monasteriorum Priores & monachi Cluniacensis ordinis, necnon Magister & frater Hospitalis Hierosolymitanensis Parisiensis, interdictum hujusmodi temerè contemnerent, eo durante apertis januis, pulsatis campanis, alta voce divina officia damnabiliter celebrarunt, recipiendo interdictos præfatæ civitatis ad ecclesiastica sacramenta, ipsorumque corpora defunctorum faciendo in cimiteriis ipsarum Ecclesiarum sepeliri, quantumcumque super hoc privilegium seu indulgentiam sedis apostolicæ non duxerint ostendenda. Quare nominatus Episcopus nobis humiliter supplicavit ut memoratos Abbatem & Conventum, Priores & monachos,

Magistrum & fratres, propter hoc puniri pœna canonica faceremus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit auctoritate apostolica decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Viterbij Idibus Junij, pontificatus nostri anno secundo.

XXXVII.

Littera super subjectione & obedientia Prioris & fratrum de Monte Carmeli, & super emenda de interdicto Episcopi ab ipsis non servato.

Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

VNIUERSIS præsentibus litteras inspecturis, frater Philippus Prior fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli Parisius commorantium, salutem & gaudium in Domino sempiternum. Cùm Reverendus Pater noster in Christo Reginaldus Dei gratia Parisiensis Episcopus, cui sumus in spiritualibus & temporalibus subiecti & esse promittimus in futurum salva ordinis nostri disciplina, propter quædam gravamina notoria & manifestas offensas sibi & Ecclesiæ suæ in personis, secundùm quod asserit, à Rege & à Seruientibus suis, sententiam

interdicti generaliter in civitate & diocesi Parisiensi exigente justitia promulgasset, nosque ab initio servantes hujusmodi interdictum, illud postmodum violaverimus, januis apertis, campanis pulsatis, alta voce officia celebrando divina, durante sententia interdicti, significamus universis quod nos praedictus Prior, habito consilio cum nostro Conventu super hujusmodi excessu, de voluntate & assensu nostri Conventus hujusmodi ad plenum emendavimus dicto Patri, & nos supposuimus quantum ad hoc suae ordinationi penitus & etiam voluntati, de plenitudine benignitatis suae & solitae misericordiae confidentes. Promittentes etiam pro nobis & successoribus nostris sub debito religionis nos firmiter & humiliter completuros quicquid dictus Pater nobis duxerit injungendum. Salva nostri ordinis disciplina. In cujus rei testimonium sigillum nostrum de unanimi assensu fratrum nostrorum praesentibus duximus apponendum.

 XXXVIII.

Epistola Episcoporum, Abbatum, Capitulorum, & aliorum Praelatorum provinciae Narbonensis ad Cardinales Viterbij congregatos, qua eos orant ut Petrum de Montebruno electum Archiepiscopum Narbonensem quamprimum sinant accedere ad Ecclesiam suam.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

REVERENDIS in Christo Patribus & Dominis divina providentia sacrosanctae Romanae

Ecclesiæ Cardinalibus ; eorum ministri humiles & devoti , P. Biterrensis , B. Tholosanus , B. Magalonenfis , P. Agathensis , R. Lodovenfis , R. Nemaufensis , B. Uticensis , & B. Elnensis miseratione divina Episcopi ; ac B. permissione divina Carcaffonensis electus , Abbates , Capitula , & Prælati provinciæ Narbonensis , quorum sigilla inferiùs sunt appensa , se ipsos eorum obsequio deputatos , cum debitæ reverentiæ plenitudine & honoris. Quanto Narbonensis Ecclesia & provincia continuis obedientiæ incrementis vestris beneplacitis & mandatis fervore devotionis succensa reddit & reddidit hætenus se devotam , tanto fiducialiùs in suis quæ incumbunt necessitatibus & utilitatibus cotidianis instantiis ad vestræ magnitudinis præsidium se convertit , tenens firmissimè & nullatenus hæsitans per eminentem circumspeditionis vestræ providentiam opportunum sibi in præmissis auxilium provenire. Hinc igitur , Patres beatissimi , dominationis vestræ celsitudini duximus intimandum quòd Ecclesia Narbonensi nuper pastoris solatio destituta , viri honorabiles & discreti ejusdem Canonici , Spiritus sancti lumine , ut credimus , circumfusi , in Reverendum virum Dominum P. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarium & Camerarium , quem extollunt de virtute in virtutem suæ merita probitatis , gratinque Deo faciunt & idoneum servitorem , cujus excellentia nobilitatis , scientiæ , atque morum incognita non est vobis , suos oculos perspicaciter dirigentes , eundem in Archiepiscopum Narbonensis Ecclesiæ concorditer elegerunt. Ex quo eidem Ecclesiæ totique provinciæ immensum gaudium est exortum , dum ipsam in jamdicti persona electi ex alto oriens visitavit. Sanè quàm gravissimis quæstio-

num articulis per Bailivos Excellentissimi Domini Regis Franciæ sæpedita Narbonensis provincia hoc potissimum tempore concutitur & vexatur, quorum quidam in humeris nostris nostrorumque prædecessorum diurnam traxerunt rubiginem, super quibus eundem Dominum Regem adire disposuimus quidam nostrum, quem nisi per sedis apostolicæ providentiam dictique electi sollicitudinem indefessam sedari de facili non speramus, ad ubertatem compassionis vestræ fiducialiter recurrentes, quantum possumus devotionis instantia vobis humiliter supplicamus quatinus circa præfati expeditionem electi prosperam & festinam dantes operam, si placuerit, opportunam, eundem feliciter expeditum ad Narbonensem Ecclesiam, quæ ipsius adventum ardenti expectat desiderio, quanto commodius poteritis dignemini destinare; ut ejus præsentia suffulti subditi, pace per ipsum super suis vexationibus impetrata, in Dei laudibus assidue delectentur, & vos bonorum omnium quæ per ipsos fieri dignabitur clementia Redemptoris, participes efficiamini & consortes. Conservet vos Dei filius per tempora longiora.

 XXXIX.

Epistola Nicolai III. Romani Pontificis
ad Petrum de Montebruno Archiepiscopum
Narbonensem.

Ex veteri codice MS. Bibliotheca Colbertina.

NICOLAUS electus Episcopus &c. Archiepiscopo Narbonensi. Per nuntium & litteras quas

super tua nobis fraternitas destinavit, solitæ ad nos
 tuæ devotionis & affectionis grata recepimus argu-
 menta, immo eò gratiora nimirum quò scribentis
 animus, prout earum litterarum series referavit,
 non tam de temporalis quàm de spiritualis confide-
 ratione profectus, quem de nostra promotione sub
 spe clementiæ divinæ supponis, filiali affectu matri
 congaudens Ecclesiæ, lætitiæ jubilo amplioris exul-
 tat. Decet enim ipsius pastores Ecclesiæ momenta-
 neis perpetua, fluidis solida, & mansura præfer-
 re caducis. Hinc ab olim in te vigere concepimus
 considerationis intuitum, hinc fieri per experien-
 tiam manifestum paterna tibi benivolentia congau-
 demus. Per ista igitur & circa commissi tibi pasto-
 ralis executionem officij sedulus bene cœptis insi-
 stens, illudque prudenter & diligenter ad tuam cre-
 ditique tibi salutem gregis exercens, de virtute in
 virtutem, ut Deum deorum in Sion videas, & me-
 riti cumulum gregem ipso largiente ad hujus visio-
 nem adducas, pro viribus gradiaris; sciturus quòd
 te gerimus in visceribus caritatis, & Ecclesiam ac
 provinciam Narbonensem, non ex suscepti officij
 debito, sed & tui specialiter obtentu, habere inten-
 dimus in suis opportunitatibus commendatas.



X L.

Litteræ Guillelmi de Lauduno Archiepiscopi Tolosani, quibus potestatem facit Presbyteris Collegij Narbonensis apud Tolosam fundati audiendi confessiones scholasticorum ejusdem Collegij, eisque administrandi sacramenta ecclesiastica.

Ex archivo Collegij S. Martialis Tolosæ.

FRATER Guillelmus miseratione divina Archiepiscopus Tolosanus universis præsentis litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Dudum Reverendus in Christo Pater Dominus Galbertus Dei gratia olim Arelatensis nunc Narbonensis Archiepiscopus, pia consideratione motus, domum quandam diversas continens mansiones, cum suis viridariis, quam Tolosæ in carreria de Balatis acquiri & emi fecerat ad usum & sustentationem duodecim pauperum scholarium ibidem institutorum, constituit ac etiam deputavit, quòdque in domo eadem Capellam unam perpetuam ad laudem & honorem divini nominis, ac præcellæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Trophimi dictæ Arelatensis Ecclesiæ patroni, de nostri licentia construxit & fundavit, statuens & ordinans quòd duo ex dictis scholaribus sint Presbyteri pauperes & dociles, qui Missas singulis diebus continuè alternis vicibus pro salute vivorum & requie defunctorum celebrent in Capella prædicta, ut ipsi Presbyteri & scholares prædicti

dicti Missa non careant ullo die. Verum cum ipse Dominus Archiepiscopus nobis cum instantia supplicaverit quatinus Arnaldo de Vaxeria & Gasberto de Sapriano Presbyteris in dicta domo jam institutis & successoribus eorum ibidem pro tempore instituendis confessiones audiendi necnon licentiam ministrandi dictis scholaribus ecclesiastica sacramenta concedere dignaremur, Nos igitur attendentes tam pium opus per sepedictum Dominum Archiepiscopum Deo fore gratum & acceptum, supplicationi hujusmodi dicti Domini Archiepiscopi favorabiliter annuentes, prefatis Arnaldo & Gasberto Presbyteris in dictis domo & Capella jam institutis & eorum cuilibet & successoribus suis Presbyteris ibidem pro tempore instituendis predictas confessiones audiendi, & eadem sacramenta ministrandi, dictisque scholaribus & eorum servitoribus ea ab ipsis Presbyteris recipiendi auctoritate ordinaria perpetuis temporibus concedimus potestatem. In cuius rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum in castro nostro de Balmario die III. mensis Junij, anno Domini millesimo CCCXLV.

Vide Catellum in Memoriis Historia Occitanica pag. 226.



XLI.

Litteræ Karoli V. Francorum Regis, quibus potestatem facit Gaucelino de Vairolis Seneschallo Cadurcensi emendi possessiones & latifundia in pago Cadurcensi, non obstantibus constitutionibus regiis.

Ex archivo regio Parisiensi.

KAROLUS &c. Notum &c. quòd nos humiliter requestam pro parte dilecti & fidelis Gaucelini de Vairoliis Militis domini de Albanca nobis porrectam recepimus continentem quòd cum Senescalliam Caturcensem, in qua extitit oriundus, quandiu viveret in humanis, auctoritate regia obtineret; & in eadem Senescallia, dum Senescallus existeret, emerit & acquisierit loca de Roussilhione, de Valle Rupheria, & sancti Petri de Foliis in dicta Senescallia consistentia, nec non quosdam alios redditus, terras, & possessiones in loco de Cayslucio seu ejus districtu prædictæ Senescalliæ situatos, timens ipse Miles ne pro tempore futuro possit sibi impingi vel opponi quòd hujusmodi acquisitiones seu emptiones contra ordinationes vel constitutiones regias vel stilum & consuetudinem Senescalliæ prædictæ aut aliter acquisierit, propter quæ idem Miles vel heredes & successores sui aut ab ipso causam habentes in iisdem acquisitionibus seu emptionibus possent turbari in futurum seu aliquo modo molestari, supplicans super hoc per nos sibi nostram gratiam elargiri; nos considerantes grata & lauda-

billia servitia quæ idem Miles & prædecessores sui nobis & prædecessoribus nostris Regibus Franciæ fideliter & honorificè impenderunt, ex plenitudine nostræ regiæ potestatis, certa scientia, & gratia speciali, contractus supradictos hujusmodi acquisitionum seu emptionum & quoscunque alios licitos & per eundem legitimè factos ratificamus, laudamus, approbamus, & tenore præsentium confirmamus; eidem auctoritate prædicta concedentes quòd ipse, heredes & successores sui, & ab ipso causam habentes & habituri in futurum, loca, ac redditus, terras, & possessiones prædictas sic per eum acquisitas valeant & debeant tanquam suum proprium patrimonium & hereditagium habere, tenere, & perpetuò possidere liberè & impunè; statutis, ordinationibus & constitutionibus regiis, usu, stilo, & consuetudinibus Senescalliæ & patriæ prædictarum & aliis in contrarium editis nonobstantibus quibuscunque. Quod ut firmum &c. Salvo &c. Datum apud nemus Vincennarum anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo, & regni nostri octavo, mense Maij.

X L I I.

Aliæ litteræ ejusdem Regis pro eodem
Gaucelino de Vairolis.

Ex eodem archivo regio Parisiensi.

KAROLUS &c. Notum facimus universis præsentibus & futuris quòd nos humilem requestam pro parte dilecti & fidelis Gaucelini de Vairolis Domicelli nati dilecti & fidelis Gaucelini de
m ij

Vairoliis Militis nobis porrectam recepimus continentem quod cum Senescalliam Caturcensem in manibus nostris tunc liberam & vacantem eidem Domicello per ipsum regendam & gubernandam, quandiu vixerit in humanis, per nostras alias litteras duxerimus concedendam, timens idem Domicellus, cum sit de dicta Senescallia oriundus, ne propter ordinationes & constitutiones regias vel usum, stilum, & consuetudinem Senescallia & patriae praedictarum, de bonis à Deo sibi collatis & in posterum conferendis ipso existente Senescallo in eadem Senescallia possit aliquas acquisitiones seu emptiones quarundam possessionum, terrarum, hereditagiorum, vel locorum aliorum facere, aut aliquos alios contractus licitos contrahere, supplicans sibi per nos super hoc gratiam nostram elargiri; Nos considerantes grata & laudabilia servitia quae idem Miles & Senescallus ejus natus ac ipsorum praedecessores à longo tempore citra nobis & praedecessoribus nostris Regibus Franciae fideliter & honorifice impenderunt, eidem Senescallo ex plenitudine nostrae regiae potestatis, certa scientia, & gratia speciali, tenore praesentium concedimus facultatem ut ipse, quandiu fuerit Senescallus, loca, terras, redditus, possessiones, hereditagia, & alia bona temporalia emere & acquirere possit & valeat, necnon & quoscunque alios contractus licite cum quibusvis personis facere & etiam contrahere, & quod illa sic legitime empta & acquisita ipse, haeredes & successores sui, & ab ipso causam habentes & habituri, juxta earundem emptionum & acquisitionum seriem & tenorem possint & valeant habere, tenere, & perpetuo possidere tanquam suum proprium patrimonium & hereditagium liberè & impune; statutis, ordinationibus, & constitutionibus regis, usu,

filio, & consuetudinibus Senescalliae & patriae praedictarum, & aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Quod ut firmum &c. Salvo &c. Datum apud nemus Vincennarum anno Domini millesimo cccclxxi. & regni nostri octavo, mense Maij.

X L I I I.

Concordia Barcinone inita inter Reginam Aragonum Eleonoram & Bertrandum de Cosnaco Cardinalem Convenarum anno Christi MCCCLXXII.

Ex archivo regio Barcinonensi.

CONCORDIA facta intercedente Domina Elionora Regina Aragonum & Cardinali Convenarum super quatuor gravaminibus pratensis per Praelatos Cathaloniae. Quae quidem Concordia fuit facta in civitate Barchinonae decima die Iunij anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, & inde fuit factum publicum instrumentum per Guillelmum Oliverij Secretarium Dominae Reginae decima die Iunij anno praedicto MCCCLXXII. Sequitur Bulla Papae Gregorij undecimi.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Bertrando sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali, apostolicae sedis Nuncio, salutem & apostolicam benedictionem. Charissimae in Christo filiae Elionorae Reginae Aragonum illustri scribimus, prout constat scedula praesentibus interclusa. Et ideo circumspectionem tuam attentè rogamus

mus, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus in præmissis, super quibus scribimus, paratus & operator existens, pro concordia ipsa fienda, servata tamen semper libertate ecclesiastica, opem des & operam efficaces. Datum Avinioni quarto Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

IN DEI NOMINE. AMEN. Super præteritis quatuor gravaminibus quæ Reverendus Pater Dominus Archiepiscopus Tarrachonæ & nonnulli alij Prælati & Clerus provinciæ Tarrachonæ petierunt revocari per Dominum Regem, post multos amfractus ventum est per Dominam Reginam Aragonum & Dominum Cardinalem Convenarum ad Concordiam infra-scriptam.

I. Et in primis super processu soni emissi, de cujus effectu & extensione conqueruntur Prælati quòd per ipsum derogatur ecclesiasticæ libertati, concordatum est & deliberatum per prædictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem quòd Dominus Rex declaret quòd per dictum processum, qui pro generali jurisdictione sua, quam pro malefactoribus persequendis flagrante crimine habet & semper habuit in omnibus castris & villis sub sui principatu constitutis, cujuscunque soli existant, aliquam jurisdictionem non exercent dictus Dominus Rex in quoscunque Clericos, licet malefactores; immo si malefactor in virtute processus prædicti comprehensus, Clericus reperiatur, quòd remittendus sit suo ecclesiastico judici juxta canonicas sanctiones, quas præfatus Dominus Rex dicto casu vult inviolabiliter observari & remanere illegas. Concordato insuper per dictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem, quòd Prælati vel alijs personis ecclesiasticis vel eorum officiali-

bus non impediendis seu non resistentibus exercitio dictæ regie generalis jurisdictionis pro dictis malefactoribus persequendis, quod præfatus Dominus Rex vel officiales sui non possint nec præsumant sub prætextu dicti processus damnificare vel vastare castra & bona dictorum Prælatorum vel personarum ecclesiasticarum; quinimmo Dominus Rex contrafacientes puniet prout jura & etiam Constitutiones super dicto processu editæ postulant & requirunt. [*Caput istud extat in secundo volumine Constitutionum Catalonia lib. ix. Tit. xiv. cap. i.*]

II. Super processu verò pacis & treguæ, de quo seu cujus extensione dictus Dominus Archiepiscopus & Prælati conqueruntur, concordatum est per prædictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem, quod licet secundum formam Constitutionum expressè Clerici & personæ ecclesiasticæ teneantur ad observandam formam pacis & treguæ, maximè in Constitutione Domini Alfonsi primi, quæ incipit *Divinarum*, secundum quam non servantes sunt ejecti ab ipsa Constitutione à pace & tregua, quæ Constitutio fuit edita cum consensu Archiepiscopi Tarrachonæ apostolicæ sedis Legati & suffraganeorum suorum, prout ex ejus lectura patet, concordatum est quod declaretur per Dominum Regem quod non est neque fuit intentio Domini Regis quod ex dictis processibus Presbyteri vel Clerici soluti possent trahi ad judicium Vicarij seu alterius judicis secularis, sed solùm moneri, non tamen judicialiter, ad observantiam formæ pacis. Et si moniti veniant, & pignora ponant in posse Vicarij tanquam sequestri utriusque partis seu mediæ personæ, cognitio querelæ factæ contra Clericum nec civiliter nec criminaliter poterit neque potest per Vicarium vel alium officialem regium expediri,

sed ad suū judicem remitti secundū canonicas sanctiones. De pignoribus verò restituendis vel distrahendis fiat prout per judicem ecclesiasticum fuerit declaratum. Si verò Clericus monitus non haberet pignora tenentia, & juraret in posse judicis ecclesiastici vel Vicarij de licentia sui Ordinarij quòd non posset tornare pignora tenentia, & casu ipse Clerico se ponente capto in posse judicis sui, & jurante de stando juri & judicatum solvi cum suis clausulis in posse sui judicis, à tornando pignora sit liberatus. Concordato insuper per prædictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem quòd si dictus Clericus vel alia persona ecclesiastica non vult servare formam pacis, quòd Vicarius vel judex temporalis non ob hoc possit eum in persona vel in bonis punire vel alias offendere quoquo modo; sed solùm succedit pro contumacia Constitutionis, videlicet quæ propter hoc quia monitus formam Constitutionis non servat, habet ipsum extra pacem; sic scilicet quòd damna, si forsan ei darentur, non posset petere emendari secundū formam & privilegium pacis. Iura tamen sibi competentia de jure canonico vel civili vel alias ex ecclesiastica libertate, illa sibi remanent illibata, & super illis, dictis ecclesiasticis, licet existentibus extra formam pacis, justitiam facere tenebitur & faciet, dicta ejectione in aliquo non obstante. [*Hoc caput extrat in eodem volumine Constitutionum Catalonia lib. x. Tit. iv. cap. ii.*]

III. Super eo verò quòd conqueruntur quòd facta suspicione Prælati & personæ ecclesiasticæ ejiuntur seu banniuntur de regno, concordatum est quòd illud, si unquam factum est, malè factum est, cum evidenter sit contra ecclesiasticam libertatem; & est declaratum, quòd Dominus Rex declaret

quòd in posterum nunquam fiat. [*Istud caput extrat in eodem volumine Constitutionum Catalonie lib.*

1. Tit. II. cap. IV.]

IV. Super eo verò quòd conqueruntur de temporalitatibus occupandis &c. concordatum est quòd Dominus Rex declaret quòd Prælati vel aliis personis ecclesiasticis facientibus processus ecclesiasticos in casibus pertinentibus ad eos de consuetudine vel de jure, non possit de justitia vel injustitia se intrormittere processuum prædictorum, nec eos ad eorundem revocationem per occupationem temporalitatum vel alia remedia compellere quovis modo. Ubi verò evidenter vel notoriè jurisdicção regia per Prælatos impeditur, qui per processus suos jurisdictionem impediunt vel occupant temporalem; tunc non debent mirari Prælati, si per exercitium suæ superioritatis, quam universaliter habet in universis temporalibus regni sui, ad defensionem sui juris notorij adhibet remedia dudum à suis antecessoribus assueta. Ubi verò super hoc, an pertineat notoriè de consuetudine vel de jure ad Ecclesiam vel ad Regem jurisdicção super qua fuerit processus; tunc concordatum est quòd communes personæ eligantur, videlicet una pro parte Regis, alia pro parte Ecclesiæ: quæ ambæ dictum dubium decidere teneantur, & sub juramento, infra tres menses, bona fide, dolo & fraude cessantibus. Proviso quòd si dictæ duæ personæ infra dictos tres menses dictum dubium non poterint vel noluerint terminare, tertium eligere teneantur, qui cum ambobus vel eorum altero infra mensem dictum dubium decidat, & ejus decisioni pareatur sub pœna quingentorum morabatorum. Interim verò processus qui facti fuerint, absque cujuscunque partis præjudicio suspendantur. Et si facti non fuerint, non fiant quousque dictum dubium

fuerit terminatum. [*Caput istud extat in eodem volumine Constitutionum Cataloniae lib. III. tit. II. cap. I. & rursus jubetur observari in libro VI. cap. VI. & XI.*]

X L I V,

Constitutio Francisci Patriarchæ Hierosolymitani & Episcopi Barcinonensis de Capella vestimentorum danda per quemlibet Episcopum sedis Barcinonensis, edita anno M C C C C X X I I I.

Ex veteri codice nostro MS.

CLEMENS & misericors Dominus in eos suæ pietatis & clementiæ dona multiplicat quos non ingratos acceptorum donorum, ut novem ex decem leprosis fuere, sed beneficiorum habitorum jam memores, per exhibitionem tam spiritualium servitiorum quàm etiam bonorum temporalium gratos esse cognoscit. Cùm igitur diversis provincialibus constitutionibus statutum existat ut quilibet Episcopus provinciæ Terraconensis infra triennium ex quo ad dictum sit statum assumptus, cathedrali Ecclesiæ, cui præfuerit, unam capellam vestimentorum pontificalium de pannis sericis vel aureis valoris ad minus c c c. florenorum auri de Aragonia facere vel ipsos c c c. florenos auri numeratos tradere teneatur, nisi medio tempore jocale æquivalens, de quo ipsius Ecclesiæ Capitulum contentetur, eidem Ecclesiæ dederit & tradiderit cum effectu; Nos Franciscus Patriarcha Hierosolymitanensis, Episcopus & Administrator perpetuus Ecclesiæ & sedis Bar-

tinonensis, & Capitulum ejusdem sedis, volentes
 ut dictum salubre statutum in hac nostra Ecclesia,
 quæ propter concursum frequentem personarum re-
 gularium & magnatum ac extraneorum talibus or-
 namentis præ ceteris indiget, efficaciter observetur,
 hac constitutione per nos & successores nostros jam-
 dudum consultè facta, ordinata, & jurata, prout
 constat quodam publico instrumento inde per dis-
 cretum Gabrielem Canyelles Notarium publicum
 Barchinonensem sub datæ vicesimæ octavæ diei
 mensis Julij anno Domini millesimo cccc. decimo
 tertio recepto, & per nos dictum Franciscum ac per
 alium Barchinonenses Episcopos etiam practicata,
 observata, & completa, per nos & per dictos suc-
 cessores similiter deliberatè statuimus & perpetuò
 ordinamus quòd effectus prædictarum constitutio-
 num hîc præinsertus in hac nostra Ecclesia Barchi-
 nonensi perpetuis futuris temporibus observetur, &
 pro ejus executione quicumque tam de hoc nostro
 Capitulo quàm de extra ipsum in Episcopum Bar-
 chinonensem assumptus, in sua receptione teneatur
 jurare per se ipsum, si præsens existat, vel per pro-
 curatorem sufficientem, specialiter hanc constitu-
 tionem servare, detque fidejussores ipsius nostræ
 Ecclesiæ beneficiatos pro ea implenda hoc modo
 quod ad minus dictos ccc. florenos infra dictum
 triennium, centum videlicet quolibet anno, reali-
 ter tradet & assignabit Caritaterio ipsius Ecclesiæ
 pro Capella prædicta, nisi eam, ut præfertur, fece-
 rit & tradiderit, vel jocale jamdictum tradiderit in
 dicto valore, recuperare valeat florenos ipsos vel
 partem ipsorum, sicut perantea eos hac de causa de-
 derit numeratos. Quòd si antè quàm Capellam ip-
 sam, vel jocale, aut ccc. florenos tradiderit, ut
 præfertur, eundem Episcopum decedere vel ab ea.

192 APPENDIX ACTORUM VETERUM.
dem Ecclesia contingat quomodolibet amover
dummodo medietatem fructuum & jurium unius
anni receperit vel recipere debeat ab eadem, ad so-
lutionem dictorum c c c. florenorum completè fa-
ciendam vel Capellam dandam seu jocale prædictum
tradere teneatur, & proinde omnia bona sua & ma-
ximè dictæ Ecclesiæ jura sibi vel executioni suæ debi-
ta remaneant & sint præ ceteris creditoribus eidem
caritati obligata. Si verò lapso dicto termino, Epif-
copus ipse in episcopatu remanens non adimpleverit
supradicta, pœnas interdicti & excommunicationis
ac privationis jurium quæ pro tribus præbendis &
aliis infra dictam Ecclesiam sibi competent in ulti-
ma in dictis constitutionibus facta per bonæ memo-
riæ Dominum Enecum Archiepiscopum cum con-
sensu totius provincialis Concilij Terraconensis
quinta die Aprilis anno Domini m c c c x c i. con-
tentas omnino incurrat. Quas pœnas nos dictum
Capitulum sub pœna perjurij, & Præpositi præsen-
tes & futuri ipsius Ecclesiæ sub pœna excommuni-
cationis in dicta constitutione latæ, quantum in no-
bis fuerit, exequi teneamur.

P A R I S I I S.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUETI.

M. D. C. L. X. V. I. I. I.